ARNGRIMUS IONAS
SPECIMEN ISLANDIÆ HISTORICVM

SPECIMEN

ISLANDIÆ

HISTORICUM,

ET

Magna ex parte

CHOROGRAPHICUM;

Anno IESU CHRISTI 874. primum habitari cæptæ: quo simul ſententia contraria, D. IOH. ISACI PONTANI, Regis Daniæ Hiſtoriographi, in placidam conſiderationem venit;

PER

ARNGRIMUM IONAM W. ISLANDUM.

Amicus Plato, amicus Socrates; ſed magis &c.

Horatius in arte.

Maxima pars vatum, Pater, & juvenes Patre digni,
Decipimur ſpecie Recti, &c.

Emit a Studioso literarū Sacrarum Solerti, Thorcillo Othonis, Præpositi Regionis Rangarthings Clarissimi – Anno 1704 — Haldor Ena[illegible]

Subjice Te rationi – Sen: —

Arng: Jonæ Ex[illegible] p[illegible] [illegible]prium.

Erran[illegible] [illegible] [illegible]tationem, nō u[illegible] [illegible]

G. P.

Pauli Fil. 1745.



AMSTELODAMI.

Anno Chriſti CIↃ IↃC XLIII.

L. S.

Libellus hic, SPECIMINIS ISLANDIAE titulum gerens, aliquot ante Obitum CL. DN. DOCT. IOH. PONTANI, annis ſcriptus, & cum Viris Doctis, communicatus eſt: licet editio, ob nimiam Autoris abſentiam, dilata ſit.

VIRO

VIRO

ILLVSTRI, MAGNIFICO,

STRENVO

DN. CHRISTIANO THOMÆO,

Domino de Stougard &c. Cancellario Regio; Regni Daniæ Senatori primario, Academiæ Hafnienſis Conſervatori Summo; Domino meo, omnibus nominibus ſuſpiciendo.

ILLVSTRIS & ampliſſime Heros, Magnifice Dn. Cancellarie, ad Magnific. T. verba facturus, principio, fateor & ſyncere agnoſco, ingenioli mei, olim minimum exculti, nunc morbis & ſenio labantis, heu nimis tenuem & curtam ſuppellectilem; eoque ad nomen tam illuſtre ſalutandum, omni ex parte ineptam: meque verba, ad animi votum & ſententiam, proponendam, mox initio deficere. Ad quam rem, etſi ſumma Magnif^{ca.} T. Humanitas connivere (quod obſecro) dignabitur; factum præterea ipſum, non minore indiget venia: quod nempe præſentem hunc Tractatum, Illuſtri T. nomini inſcribere, ſive dedicare, animum induxerim. Quod tamen ipſum, ut à Dedicationum antiquitate & earundem Decoro & Honeſto, excuſationem mutuari permittatur, ſubmiſſe rogo. Libros enim Magnatibus dedicandi conſuetudinem, nulla non ætas, ut antiquiſſimam, quippe ab ipſis Ægyptiis (ſi Hiſtoriæ fides) originem repetentem; ita honeſtiſſimam fuiſſe habitam, tot jam durantem ſecula, probavit. Quamvis Chryſippus Philoſ. quum ſcripſiſſet plurima (volumina, ut tradunt, 75.) nemini tamen quicquam dedicâſſe perhibeatur (unde indoctior habitus ſit) non poterit ille, hoc ſuo facto, antiquiſſimæ Dedicationum legi,

quicquam præscribere aut præjudicare; quum nec una aut altera hirundo ver faciat: suffragantibus tam decoro quam honesto, omnium, ut dictum est, ætatum (quin etiam nationum) exemplis, in hodiernum usque diem, nusquam antiquatis: sin minus, mos ille, jam olim emarcuisset. Quid? quod teste Plinio Appion celebris Grammaticus (Quanquam habuit suos ille æmulos) dixerit: Immortalitate à se donari, ad quos aliquid componeret vel commentaretur. &c. *Vocem agnosco satis confidentem, nec cuivis usurpandam vel ad imitamen trahendam. Medium enim iter, tutius hic foret, à Dedicationum fine, dirigendum: Quem, quia varium esse constet, & aliis, alium esse propositum, ideoque paucis non absolvendum; de illâ varietate dissertationem suscipere, nec hujus loci, nec mei est instituti. Quanquam plurimos interim, suum aliquod edituros Scriptum, de Patrono & Patrocinio eidem conciliando videamus sollicitos, atque ad eam rem indipiscendam, in Magnatum aliquâ copia vel coronâ, scribentium oculos circumferri, animadvertamus. Ubi tamen, cum voti fiant compotes; Vita quasi & immortalitas Appionis (nobis satis est, diurnitatem vel durationem aliquam innuisse) Scripto, à Patronis sive magnatibus: non æquè, & vice versâ; Patronis, à Scripto (præsertim humilioris cothurni) hac ratione quæri aut contingere dicenda fuerit. Id quod mihi, hoc potissimum tempore, considerandum fuerit, præsentes pagellas evulgaturo. Indoctum sanè opusculum; verum Argumenti vel subjectæ materiæ respectu, ut magni Patroni indigum; ita ejusdem favore & autoritate non prorsus indignum: ut in quo res agatur, non privata, sed publica: de Fastis nempe, & Annalibus, Norvegicis ex parte; Islandicis, totaliter.* hoc est, de tempore Islandiæ, primum habitatæ, sive, habitari cæptæ, legum & juris humani Septis coërcitæ: Sacris Christianis imbutæ: Regi primum Norvego, inde Danico Imperio deditæ: *& quæcunque alia, ex Annalibus huc spectant; Quæ omnia & singula, ex solâ & unicâ Quæstione principali dependent:*

dependent: hac nempe: Vtrum Islandia sit Thule? THVLE, *inquam, illa vetustissima, Græcis & Latinis Scriptoribus celebrata? Quæ quæstio primum; ævo Adami Bremensis (quod sciam) mota: & post ipsum, multum diuque sopita; tandem ex ipsius cineribus, in flammas erupit validiores; præsertim nuper scribente, Clarissimo* DN. D: IOH. ISA: PONTANO: *Qui posthabitis & inconsultis nostratium Antiquitatibus, exotica sequi maluit; ad Quæstionis Affirmativam defensandam. Ea vero validius propugnata, quam non leve incommodum, Annalibus Islandicis, immò, Archivis etiam Dan. & Norveg. sit attractatura; propius intuenti, sit conspicuum.*

Ego quum inquisitionem & inspectionem aliquam, nostrarum Antiquitatum, de Serenissimi Regis mandato suscepissem, putavi quoque mearum esse partium, in dictam Quæstionem, de Thule & Islandiâ inquirere. Cujus partem Negativam tandem, complexus, præsenti discursu tueri conatus sum. non, ut spero, quid mali, in quenquam commeritus hac ratione, sed ut Magnif.ae T. protectus favore, operam Patriæ & veritati impendendam, minus refugiam. Nihil scilicet, hac scriptiunculâ in bonos deliquisse, mihi conscius; ast ejus interim non nescius, quod vulgato proverbio circumfertur: Non solum optima, sed vel mediocria aut non prorsus mala, cibum esse invidiæ. *Neque verò, per quæsitum hoc apud Magn. T. refugium, ausus temerarii damnandus (aliorum sententia) videbor. Quid enim nobilissimis naturis magis proprium; quid congenitum magis; quam egenorum necessitatibus, & miseriâ tangi? Quare mentis oculos, de Patrono opellæ meæ sollicitos, ad Magnif.am T. Heros inclyte, non sine numine direxi, ubi tutamen & refugium inveniat & adipiscatur.*

Nam erunt fortasse, intentionem hanc meam deformaturi; qui, quod submissa obsecratione, & per dedicatum libellum, quæritur, in donum vel munus, nescio quod, cavillando vertere satagant: tam Scriptionis quam Autoris tenuitatem, exagitando &

do & traducendo. &c. Quibus facilè ignosco: siquidem carpendi & cavillandi ingenio nati sint; nec scire didicerint: quod indigentia & egestas mea, Doni nomen excludat; Nisi ex iisdem paulò saniores, tam callide sapiant; ut Anacharsin Philosophum, hospitem, Regii favoris cupidum, ad Dionysium adducentem, pro se allegent: & dicentem: Donum maximum affero; adducens hospitem, favoris indigum? &c. *Atqui hac ratione quilibet pauper & egenus, Donum erit Diviti.*

Iam si dedicatum Libellum, doni vel munusculi vicem subire, quispiam argutior velit aut contendat (licet, me fatente, quæsito patrono, tam indignum, quam res ipsa loquitur) Ego has & similes objectiones, in sinum benignissimi & exoptati Patroni deponens; Respondeo: Nihil mihi esse causæ, cur Magnif. ipsius facilitati diffidam, aut de ejusdem summa Humanitate desperem; vel Magnatum Istorum virtuti postponendam existimem; quibus olim Vola aquæ, Sinetæ (nota sunt exempla) non displicuit: nec itidem, Rapa Cunonis, muneris loco oblata, sorduit: nec haustus pariter Frigidæ, Thaumasti, fuit despicatui &c. Quicquid erit: mihi foret satis, supplicantis loco admitti: & commentariolum hunc (ut ut parvi momenti) tanto & tam Illustri Domino, licitè inscribi posse: ut Magnif. T. favore & autoritate, velut umbone æneo, repellatur, sinistrè Iudicantium umbo: Dextrè vero æstimantium, rem præsentem, admonitiones, vel animadversiones, dum superstitem Deus esse velit, non detrectabo. Conjunctum vero præsens Islandiæ Specimen, cum Crymogæâ, ante Annos circ. 17. excusâ, & Sereniss. Reg. Majestati dicatâ, ac clementer exceptâ, Islandiæ, multis Annis obscuræ, atque à plurimis despectæ aliquam notitiam, ut spero conciliabiti præeunte Regis Sereniss. Clementiâ: & accedente, Illustris & Magnifici, Dn. Cancellarii, Autoritate & favore. Quod si jam, me pro Patriâ supplicem, nec Autoris libelli, obscuritas, nec Patriæ pluribus vilescens paupertas, Magnifam. Tam. Divinæ naturæ, humilia ubique

ubique respicientis, æmulam, à commiserando & benefaciendo (quin me voti compotem facere dignetur) avocent; non me solum, hominem tenuem & privatum; sed Terram quoque hanc ipsam, novercante Fortunâ, undique pressam, rarâ & Heroicâ beneficentiâ, complexa esse, in seram posteritatem prædicabitur: Unde vota, pro summa Magnif. Dn. Cancellarii, felicitate, ad Deum anxiè fundenda, nobis incumbere; Et (vel aliâs debita) semper continuanda, obstricti agnoscemus. vale. Dabam Melstadio Borealis Islandiæ pridie Nonarum Augusti, anni. CIↃ IↃC XLII.

Dn. Cancellarii
Magnificentiæ devotissimus cliens
ARNGRIMUS IONAS.

VIRO CLARISSIMO

DN. ARNGRIMO IONÆ

Ecclesiarum Borealis Islandiæ quondam inspe-
ctori Fidelissimo,
NUNC

Medelstadensium Pastori vigilantissimo,
Historiarum & Antiquitatum Islandicarum vindici acerrimo.

E*Uge* ARNGRIME, *decus perenne Terræ,*
Cui nomen glacies & algor olim
Cæli, non animi tulit politi;
Alcides, domitorque magnus horum
Qui frustra patriæ tuæ vetustos
Annales, veterumque scita patrum
Nisu, tollere non probo, laborant;
Sannis innocuam aut gravare gentem.
Te Islandi Boreæque mitioris
Extollunt populi, Tibique jure
Applaudant, meritis tuisque digna
Aptant præmia FAMA HONOR*que dius.*

OLAUS WORM.

SPECI-

SPECIMINIS ISLANDIAE

PROOEMIUM.

QUANQUAM, *Lector humane, cordate, candide*, hoc ſcribendi argumento ſuperſedere penitus decreveram; illudque in Crymogæa noſtra vix attingens, ut minus neceſſarium, mihique & Lectori, præſertim extraneo, jucunditatis parum, nihil vero utilitatis allaturum, alio rejeceram; Facit tamen contraria, de tempore primum habitatæ Iſlandiæ, ſubinde renaſcens, varieque interpolata opinio & ſententia, ut illud, vel invitus, tractandum ſuſcipere cogar; periclitante videlicet, ob contrariam illam opinionem, validius propugnatam, Annalium domeſticorum fide & veritate, quorum ſacra alioqui, ac ſuo modo, minuſque dubia fuit Autoritas; Nec nobis tantum, ſed & exteris; quod conſtat, & poſt dicetur uberius.

Mearum autem mihi conſcius virium, forſan rectius, mihimet ſilentium imperare debueram; quam Theatro literario, nova balbutie obſtridere, inque Doctorum conſpectum, malè tornata hac cum commentatiuncula prodire; ſatis enim anſer, olores inter ſtrepuit, Idque nihil mirum, ſi tanto majore olorum cum faſtidio, quanto in meis edendis, ad ſtridulam anſeris vocem, Typographorum menda, aliquando etiam affectata, abſente procul Autore, plus attulerant momenti. Quum alioqui ad mea deſpicienda, nimium faciat, quod a Magnorum virorum eruditione, tantum abſim, quantum ab eorundem commercio, jam ultra annos 40. loco diſſitus; non quod non etiam Patria, viros eruditos ſuppeditet; ſed habitationes nimium diſtractæ, rerumque noſtrarum difficillima conditio, commercia, & converſationem

opta-

optatam (quid si ferè conspectum mutuum) & studiorum communicationem tolluntatque enervant. Ast nihilominus, quum videam silentium meum, cum Annalium nostrorum periculo, ut dixi, esse conjunctum; calamum penitus suspendere, & communi causæ, mihique ipsi, prorsus deesse, iniquum & inhumanum ratus sum; ut vel eo etiam nomine, huic discursui, esto inconcinno atque indocto, veniam à BONIS & cordatis, precer, mihique certo pollicear: præsertim, quia non lædendi, vel leviter saltem offendendi; sed qua fieri possit, Annalibus Patriæ, subveniendi animo & intentione, hoc quicquid est opellæ suscipiatur.

Ut vero, non vanum hoc esse periculum, meque Annalibus nostris, non de nihilo metuere, quivis intelligat, extat, inque lucem prodiit, Anno 1631. excellentissimi Historici, D. Joannis. I. Pontani commentarius, de insulis Borealibus inscriptus; in quo, inter alia, Thulen & Islandiam, eandem esse, vel constituere, contendit insulam. Quo ipso nostris Antiquitatibus, nihil magis adversum, afferri poterat. Unde Clariss. ille vir, jactum in Crymogæa, narrationis nostræ Fundamentum, à se penitus subrutum, jacere pronunciat, lib: jam citato. Scripserat quidem ante annos plurimos Adamus quidam Bremensis, in hanc sententiam (Thulen esse Islandiam) sed annus editi Operis ipsius, mihi non constat. Vixit autem ille circa Ann. Christi 1067. à Clariss. Pontano pro sua sententia adductus. Sed sperabam, edita jam Crymogęa, Anno 1609 istam Bremēsis peregrini opinionem, domesticis Annalibus cessuram, ac exoletum iri. Contra quam expectationem, video Bremensis illius sententiam, nitidè astructam, & jam suam factam, à D. Pontano, nihil hæsitanter propugnari. Etsi autem is non sum, qui contra tanti viri late ventilatam, tandemque conclusam opinionem, mutire quidem (curtæ mihi supellectilis satis conscius)

cius) aut queam, aut nisi prædicta necessitate compulsus, cupiam; nedum adversam ipsius nostris Annalibus disputationem, pro rei dignitate, satis strenuè impugnandam suscipere; tamen pluris erit (satis scio) apud Optimum virum, veri indagatio, quam inertiæ, aut tenuitatis, vel ruditatis meæ aspernatio; quam vir humanissimus, suo in scripto, ne verbulo quidem designavit. Quin eo me potius, quo minimè dignus fueram laudato nimis nomine, ac honorifica sæpius mentione affecit: quæ summi viri, summa est, & manifesta humanitas, eidẽ maximo honori cessura.

Ponderatis igitur utrinque ponderandis, æquus lector facile dijudicabit, quonam hunc dissertatiunculæ campum animo, quave intentione sim ingressus, videlicet planè nullo rixandi studio vel fine: à quo per naturam semper abhorrui: animo pacato nihil quicquam præferens; nisi ubi inevitabilis urserit necessitas: ut hoc loco, Veritate & Autoritate, tam nostrorum, quam Norvegorum, in extremum discrimen vocata, atque Funditus; ut vult Clariss. Pontanus, evertenda; aut alias, quoties veri sit ratio habenda, pacique & silentio præferenda. Sic enim, non quælibet dissensio, vel disceptatiuncula, litis vel rixæ nomen meretur; vel isto adstipulante veriloquio:

Non eadem sentire alios de rebus iisdem,
Incolumi, licuit semper, amicitia.

Non equidem diffiteor, videri nostris celeberrimum. V. D. Pontanum, satis à nostris Annalibus diversum abire po-„ tuisse, absque tam acri & peremptoria, de fundamento „ nostro planè subruto, jacente (quæ ipsius verba sunt) lata sententia, ut vel aliquam reliquisset nobis excipiendi, viam & potestatem. Non tamen propterea frontem contrahimus, neque succensemus ipsi. Quin potius quanta ubique licuit modestia, qua ipsius excellentiam, tali sententiæ, censuræque tam immiti, obviam ire studui, eumque, ut virum bonum & summæ æstimationis, ac amicum; tum

Annalium

tum insuper de me bene meritum, excipere, hoc qui dubitet, mea inspiciat, ne non perspecta judicet. Sed erunt porrò, nonnulli forsitan; qui hanc scriptionem, Historię Dan. incōmodam interpretentur, quum nihil minus. Legāt saltem, si qui erunt; quid utrinque afferatur, & tum demū æstiment, absque affectu; nec me præjudiciis iniquè gravare velint. Et primum quidem D. Pontani scriptum, de insulis Borealibus evolvant, & videbunt, penitus ex inclyta RR. Dan. Historia, totum esse illum D. Pontani tractatum, tam titulo, quam rebus ipsis, & charta peculiari, à corpore Historiæ Danicæ, ab ipso Autore separatum & sequestratum. Ac sit deinde, meum hoc, ad D. Pontani tractatum, quà Thulen & Islandiam, (nec enim alia vel aliena attingimus) responsum pensitet; similiter fatebitur, nihil illud ad Historiam Danicam spectare; sed dependere in solidum à fundamento Crymogææ, & totum meum discursum in eo versari, utrū Islandia sit Thule? quæ quæstio in Crymogæa rotūdè negatur. Qui libellus, quum Sereniss^mæ. Reg^iæ. M^ti. olim sit inscriptus, magni, cum mea, tum veritatis interest, ne fundamento *Nugatorio* laboret, hoc quicquid est Opusculi, R. ut dixi, M^ti. oblatum & dedicatū. Estque hoc satis urgens necessitatis telum, quo silentium rumpere coactus sim, & vindicias nostrarū Antiquitatum, licita & honesta ratione meditari. Est & hæc ejusdem rei, non minima necessitas, quæ Gentem ipsam concernit; ut cui nolit R^giæ. M^tatis æquitas, veritatis Historicę laudem invideri, quam à pluribus, sibi tributam hactenus possidet: Nequē R. Clementia, insulam hanc, Annalium domesticorum fide, & integritate exutam, ac rerum gestarum certitudine despoliatam, sicque aliorum populorum ronchis & cachinnis expositam, possidere, eamque sic Historica scientia denudatam M^tis. suæ Regnis & Provinciis accenseri; quam si hujus Nationis monumenta & Antiquitates, eo quo fas est loco, in antiquo precio habeantur.

Hanc sanè necessitatem, animum, pro Annalium domesticorum subsidio, sumendi, æquus lector, justa lance, quæso,

 perpen-

pendat, qua cum tanto & tam eximio Polyhiſtore, Clariſſ. D. Pontano, non quidem pedem (in campo Martio) verum ſententias (in foro literario) conferre, ipſius humanitate fretus, minus reformidem; idque veritatis magis conſcientia, quam artis (quæ nulla eſt) confidentia, animoſior. qua quidem re, nec vel minimum, ſummi & excellentiſſ^mi. Viri, famę vel honori, detractum velle me, proteſtor; quam proteſtationem, ſi quis pro nihilo habeat, vel etiam cavillatus fuerit, à veritatis & ſynceritatis numine proſcriptus, valeat.

Sed ut jam propoſito accingamur, duo quidem, opella hac & ſcriptione jejuna, agere decrevi. I. Initio, ut tempus Islandiæ, primum habitari cæptæ, expediam, Ann. Chriſti 874. prout in Crymogæa reperire eſt; ſed hic locupletiore, traductarum ex Norvegia, coloniarum Hiſtoria, tum Chronologica quæ paucis abſolvitur; tum magna ex parte Chorographica paulo prolixiore relatione conſtante, adferendum; ut ut inſipida (quod præmonui) lectori, hæc talis commentatio, veniat, & hæc I. Pars eſto Speciminis. II. Altera in conſideratione ſententiæ contrariæ, inſumetur. Porro *Speciminis Nomenclationem*, ad hæc, qualiacunque concepta, accommodare, viſum mihi eſt; quod latinè ſcribentes, me docuerunt notare, Experimentum, ſive exemplum, ex quo rei totius conjecturam capimus; ut cum dicat Cic. Tuſc. Specimen naturæ capi debere, ex optima quaque natura &c. Sicque totum ex parte æſtimari. Item. Quum Q. Scævolam vocat, temperantiæ, prudẽtiæque Specimen. 3. de Nat. Deorum &c. Sit itaquę, præſertim hæc I. Pars, Speciminis Islandiæ, Ann. ſæpius allegato Chriſti 874. & ita conſequentibus annis, primum habitatæ, in ſingulis inſulæ *Quartis*, per ſui ſectiones diſtincta: ut huic Speciminis vocula vel titulus, idcirco quadret, quia non omnia loca primum vel poſtea habitata, deſcripſimus, neque ut ſcriberentur, neceſſarium duximus. Primę parti, ſecunda, quaſi ſubſerviat; primæ habitationis tempus, per infirmationem ſententiæ contrariæ aſtruendo; præmiſſa, hoc loco, Hiſtoria Islandiæ primum inventæ.

PAR-

PARTIS PRIORIS, SPECIMINIS
ISLANDIÆ

De Iſlandia, primùm inventa, & ſubinde innoteſcente, ſed nondum habitata,

SECTIO *unica & generalis.*

ISTIS paucis, proæmiato, placuit reliquo tractatui, ſectionem unicam & generalem præmittere; ut eam quæ totam inſulam æquè ſpectet. Eſt enim de Iſlandia primum inventa, & deinceps innoteſcente; ſed nondum habitatâ.

Primos itaque Iſlandiæ, tum deſertæ. [NB. DESERTÆ] Inventores, Crymogæa tres recenſet, ordine, & per temporis intervalla, ſibi ſuccedentes, quos hic circumſtantiis paulo accuratioribus notabo. Horum primus fuit Naddocus, aliis Naddodus, celebris viri Norvegiæ, Yxna-thoreri filius, Barnakalleri, non inferioris notæ gener, inſignis pirata in Inſulis Faarenſibus diverſari ſolitus; quas, ut quodam tempore, de more ſuo, ex Norvegia ſolvens, vellet repetere, tempeſtate longius abactus, ad Iſlandiæ, poſtmodum vocatæ, littus Orientale delatus eſt. Hic Snælandiæ nomen Inſulæ, à nive indidit. Vide Crymog. Alter Gardarus notatur, Suecus natione, Suavari, alias Ævari filius, qui in Sælandia Danorum, quaſdam habuerit poſſeſſiones, ſed Hebrides verſus navigans, uxoris ſuæ patrimonium indidem repetiturus, eandem narratur fortunam expertus, atque ad deſertæ prorſus Iſlandiæ, latus ſimiliter orientale propulſus, Anno Chriſti 864. à quo inventore, inſula dicta eſt Gardarsholma; uſque ad Flokonem. Vide Crymogæam.

Nadd. primus Iſl. inventor.

Gardarus. II. Iſl. Inventor.

Tertium itaque Iſlandiæ inventorem, incultæ & deſertæ Crymogæa Flokonem numerat, Valgerdarſonium, à matre Valgerdâ, uſitatè vocatum, quem terræ novæ, & à ſuperioribus inventoribus, deprædicatæ, cupidum, ac interim pyxide deſtitutum nauticâ, magnetiſque uſu, huic orbi, magis arctoo, adhuc ignoto,

Floko Iſl. III. inventor.

ferunt ac ſcribunt, diis ſuis vitulâ feciſſe; adhibitiſque Sacro, tribus corvis (à quibus poſtmodum, *Raffna-Floke* dici cœperat) eoſdem tanta devotione, ſacrificio intuliſſe, & veluti conſecraſſe, ut inde, Navigationis propoſitæ, auſpicatiſſimos, crediderit futuros indices; volatu nempe ſuo, plagam cœli, in quam vela vertenda forent, deſignaturos; neque hæc ſuperſtitio hominem profanum fefellit. Solvit igitur ex portu, in confinio *Hórde-land* & *Roge-land*, Norvegiæ Provinciarum, ſito, *Floka vvogur*, ab ejus nomine, appellato; ubi, ad rei ſtabiliendam memoriam, inſignem, & à longe conſpicuum pharum excitavit jam diſcedens, *Floka-vvarda* dictum poſteris. Inde in Hetlandia [*Hiatland* vernaculè, male *Schetland*] filia Geirhillda, ſtagno Geirhilldar-watn ſubmerſa, orbatus eſt. Crymog. Deinde inſulas attingens Faarenſes, ibidem filiarum alteram elocavit: ex qua famoſus ille Tranderus de Gótu; (vixit Olao Tryguonis F. Norveg. Rege) & reliqua Gótu-skeggorum familia deſcendit. De reliqua Flokonis navigatione, in Iſlandiam, habitatore vacuam; ut & de biennii mora ejuſdem ibidem facta, (non quidem integri, acceſſerat ſub autumnum, & primo vere diſceſſerat) ſicut de Gardari hiberniis, non penitus vel plenè annariis; vide Crymog. Nec Floko, ut neque ſuperiores terræ inventores, Iſlandiam, (quam ipſi appellationem Floko indiderat, ut eſt in Crymogæa unquam reviſerunt, multò minus inhabitarunt. Quocirca tranſlatæ in Iſlandiam coloniæ, principem vel anteſignanum, nuſquam facit Flokonem; nec poſtmodum Iſlandiæ incolam: neque ad ipſius tempus (quod ignorat, annalium, mihi viſum, exemplar; nec hactenus aliunde habere potui) initium habitatæ Iſlandiæ refert (quod notetur) nec referri quidem poteſt, tacentibus non ſolum, ſed diverſum hic loquentibus Annalibus (dum Ingulfum, primum colonum faciunt) quamvis Clariſſimi Pontani verba, parte ſecunda producenda, illud de Flokone aſtruere ex Crymogæâ videantur. Quin potius antiquitates noſtræ temporis articulum, Iſlandiæ primum habitatæ, determinaturæ, magno conſenſu, in Ingulfum mox dicendum & annum Chriſti 874. Digitum intendunt, extraneorum Dynaſtarum ærâ, concorditer ſatis annotatâ; ut Imperatorum Rom. & Conſtantinopol. Romani quoque Pontificis; tum Regum Dan. Norveg. Suec. Angl. Duplim. &c. Baronum ut Orcadenſium &c. quæ omnia & ſingula magis conveniunt; quam

ut re-

ut repetendis immorari necesse sit. Sed & illius quoque Annales, quid de Thule, Beda scriptum reliquerit. Bedam verò de Islandiâ, nihil pronunciasse constat. Ast quod Bedæ sententiam, de Thule, alii postea arreptam, de Islandia exposuerint, Annales non dissimulant; sed nihil minus quam assentiuntur; refragante indoctorum Magistro, experientia, circa nocturna diurnaque spatia, in oculos incurrente. Cæterum ad Thulen, nondum ventum est, latiorem disputandi campum præstolantem.

Est autem nostrorum Annalium series, satis sibi constans, de inventâ, nominatâ, sive innotescente, ac tum habitari cæptâ Islandiâ; quæ tria & diversa tempora, inventæ, notæ & nominatæ, atque habitatæ hujus insulæ, non sunt meo damno confundenda; ita ut ex illa confusione, distinctorum & diversorum temporum, fundamentum meæ narrationis, in Crymogæa positum, convellatur, nedum jacere subrutum perhibeatur. Poterit enim Islandia, ante annum Christi positum 874. etiam aliquot lustris fuisse habitata (quod tamen non damus, quum illud inter me & Clarissimum Pontanum, adhuc controversum, non concessum sit) ac interim non esse Thule, antiquissimo ævo, satis nota & cognita. Quare sub finem hujus sectionis generalis, illud, ut toti competens insulæ, ex Annalium, tam frequenti indagine, quam manifesta, urgendum & inculcandum est: Ante positum annum 874. nullum humani cultus vestigium, nulla habitationum rudera, esse hic inventa. Nam piscatorum, nescio quorum, aut piratarum, hic subsistentium, per intervalla, specus subterraneos, in hoc vel illo littore, quod quibusdam placet, repertos; aut relictas incuria, an sponte neglectas reculas, puta, cruces ligneas, nolas, aut forsan libellos; tum vero congestos pro foco lapides, quis habitationum, aut cultæ terræ monumenta fecerit? Mirari autem hic satis nequeo, Annalium fidem, circa tempus Islandiæ habitari cæptæ, adeo usque à nonnullis elevari, ut iis parum, aut nihil relictum velint; velintque aliud quidvis credere, quam quod ex antiquitatum promis-condis, propterea quod domestici sint, annalibus nempe, affertur, sequi; ob unius aut alterius objectionis plausibilis colorem, nondum quantum existimo, satis expensum; videamque sic exoticas conjecturas, indigenarum documentis præferri. Contra sanè quàm censuit vir consultissimus & scriptor non ignobilis aut obscurus, *Valerius Maximus*, dicendo; *quis compos mentis, domestica,*

momini nerunt

+ littore mor

domesticæ, peregrinæque Historiæ seriem, fælici superiorum stylo conditam; vel attentiore cura, vel præstantiore facundia, traditurum se speraverit? &c. Nihil autem adhuc de Annalium nostrorum fide & auroritate, etiam ab extraneis, magni nominis viris, approbata, movebo, suo illud ipsum loco, reservans, parte speciminis secunda.

ISLANDIÆ MERIDIONALIS

SECTIO I.

Ingulfus.

Coloniæ, in Islandiam desertam translatæ, Principem, vel quasi primipilum (quanquam pilis nihil opus erat) Crymogæa, Annalium autoritate, facit, neque Flokonem; ut dictum est; nec quemvis alium quam Ingulfum, Barone Fyrda fykense Norveg: Ørnone vocato, progenitum, unà cum affine & consorte Leifo, alias Hiorleifo. Ad Flokonem vero, tertium illum Islandiæ inventorem, vel ipsius annum (quotuscunque is fuerit) nusquam habitationis initia vel Gentis refert originem; ut supra. Hi consortes, ut est in Crymogæa, postquam Islandiam Anno Christi 870. Primum attigissent, in Norvegiam reversi, Anno sæpius indicato 874. primi incolere cœperunt. De occasione vero coacti an spontanei exilii atque huc transvectæ, ad incolendum familiæ, qui volet Crymogæam inspiciat. Factarum autem habitationum, hanc historiam, per nomina & familias, primorum incolarum, cum nonnullis adhærentibus chorographicis, secabimus in singulis insulæ quartis, à mundi cardinibus distinctis. Quod fere supra subindicatum &c. Ubi denuo lector ingenuus mihi est rogandus, ut ad hujus, præsertim primæ partis (cum alioqui ipsius favore, nullibi non egeam) phraseologiam conniveat; dico tautologias perpetuas, non rerum, sed verborum, de rebus semper, non iisdem, verum similibus, & toties recurrentibus, ut infinito numero, Verborum copiam (quæ mihi nulla, nec ejus in narratione simplici & jejuna sum studiosus) & varietatem superent. Hinc, solvendi, navigandi, appellendi, occupandi, possidendi; sic habitandi, eundi, redeundi. &c. voculæ, ad fastidium, imo & nauseolam iterantur; ut & patris, parentis, filiorum &c. vocabula,

vocabula, aliaque penè infinita. Sed jam ad chorographiam, qualem monumenta suppeditant, cum occupatorum locorum Historia, ex Crymogææ laconismis, huc assumptis, conjungendam, rectà pergendum est. A servis igitur fraudulentissimis,& per insidias sublato, & jam Islandiam vix ingresso affine suo Hiórleifo, Ingulfus licet dolore consternatus & mæstitia, in tanta solitudine sibi veluti derelictus. postquam tamen amici & affinis devinctissimi, sumpto de servis parricidis supplicio, usque ad unum, commerita internecione, deletis [numero XII. al. X.] etsi in vicinam littori insulam, & illam desertam, navigio heri furtim ablato, cum fæmineo aliquali collegio, sese proripientibus, vindicasset, ad fundum necessarium extruendum, animum adjecit: idque in littore Reykiawiik sed neque ad promontorium, à suo dictum nomine Ingulfs-hóffde; ut neque ad aliud illud, Hiórleiffs-Hóffde, ubi affinis jam occisus, sedes positurus fuerat: vendicavitque sibi peculiariter Ingulfus, totum illum tractum, inde à fluvio Olvirs-aa ad sinum usque Hvalfiórd. Vbi satis est semel præmonuisse, nomina locorum propria, ut littorum, fluminum, fontium, montium, habitationum &c. Cum ipsis nata esse, dictis modo (& subinde dicendis) primis incolis: nam alioqui quos habitura fuissent Eponymos? in terra nempe penitus deserta, ab iisdem occupata; quod ipsum de tota intelligendum venit Islandia: si paucissima excipias, ab inventoribus istis primis, & nunquam incolis factis, indita: ut Gardari Hüsa-wiich. Nattfara-wiich: tum Flokonis Isa-fiórd / & faxa-ós. Crymog. pag. 10. & 11. Porro Ingulfus in conjugio habuit Hallvegam, Lopteri Grandævi filiam, in quorum familia exinde, hi Magnates Islandiæ claruerunt.

1. Filius Thorstenus, qui conventum forensem, crescentibus numero incolis, constituit primò, in Kialar-nes, promontorio, à carina navis, sic appellato, dum postea Thinguellam transferretur, utpote totius Insulæ comitiis locum aptiorem; vocaturque hodie Allthing / generalis fori conventus. Antea etiam hic idem habendi conventus locus Lóg-berg dictus est, quasi Rupes juris i. e. juridicundo sacra. Celebrantur enim hodie, ut olim, anniversaria, indigenarum comitia, ad rupem quandam seu rupis crepidinem, aliquot ut existimo mill. pass. inter austrum & boream fere, longitudine exporrectam; & secundum longitudinem, in vallicu-lam, non inamænam, sive terræ motu, sive naturâ divisam, &

quaſi diſruptam. Longè verum arctiore latitudine, nec teli jactum uſpiam æquante; fundo interim gramine veſtito viridi, ab amnis utrimque, ſive rivi alveo, qui per vallem, vel rupis rupturam, non tranſverſo, ſed longitudinem valliculæ ſervans, decurrit; non ubique; ſcil. poſtquam aliquantum, longinquo ſpacio, valliculam ingreſſus ſit; ubi ad ipſum habendorum judiciorum locum ventum, diverticulo quæſito, & altero vallis latere, cataduparum violentia expugnato, atque perrupto, exitum ſibi parat; non ſine aliquali omine, ſed judices, ac rerum & cauſarum arbitros, tacitè cohortatus; ne jus & æquum, per fas & nefas, more impetuoſæ aquæ, pro libidine confundant, & ſine lege, leges adminiſtrent; prioris ſæculi, integritatis memores; à qua noſtrum ſæculum vinci vel ſuperari, Chriſtianis indignum videri poſſit. Sed redeo ad Ingulfi poſteritatem.

2. Nepotem is habuit Thorchillum, cognomine *Mane*. id eſt Luna: hic enim, quod à Lunæ & aſtrorum opificio, aliquid de opifice inviſibili, colligendum & credendum ſtatuiſſet, fertur ab idolorum cultu abhorruiſſe; unde id cognominis, probri loco, ab ethnicis ſui temporis, factum apparet. Tertius ille in Nomophylacum Iſlandiæ catalogo continetur.

3. Pronepotem etiam Thormodum, & illum Iſlandiæ Nomophylacem, tempore explodendi, apud Iſlandos, paganiſmi. Alii mutationem Religionis (forte magis abſolutam) ab Thorgeiri de Liósa-watne / Nomophylaciam referunt. Crymog.

4. Abnepos fuit Ingulfo Hamallus.

5. At nepotes; Maurus; Tormodus; Thorſverus; hos Ingulfi poſteros, tradunt ſedes habuiſſe, quam ipſum, magis mediterraneas, idque ut res loquitur, ætate tanto poſteriores Atavo: ſed nos in primorum incolarum factis habitationibus deſcribendis, occupamur, de Ingulfo habet vetus manuſcriptum vernac. Ingúlffur er frægſtúr allra land-náms Maña; Pvi-hañ kom hier / ad Rudu lande / og bygde fyrſt landed / og giórda pad adrer Land-nåm meñ epter hans *exemplum* ſydañ. *id eſt. Ingulfus celebratiſſimus eſt, omnium terram hanc [Iſlandiam] Primo occupantium; illam enim incolis vacuam depræhendens, Primus incoluit; cujus exemplum reliqui ſecuti ſunt.*

S E C T I O. 2. Thorderus cognomine *Skegge*, cum Majoribus & proſapia: *Biórno*, cognomine *Buna*. i.e. Pedo, fuit inter Norvegos, magni vir nominis, dignitate *Herſir*. q. Baro vel comes; patre natus Grimo,

Grimo, cognomine *VVedra-grimur*; credo quod tempeſtatum præſcius fuerit, & hoc Barone Norveg. in Soghne; matre Hervarâ, Eylaugi Baronis nepte. Hic Pedo, multos protulit, ex uxore Vælauga, Iſlandiæ magnates; quorum genus & genealogiæ, ad ipſum & filios, ſæpius referuntur. Habuit autem Pedo, inter alios, filium percelebrem, Chetillum *flat-neff.* i.e. Simum, Comati olim, in Orcadibus, vicarium. Nati quoque Pedoni ſunt, Rapperus & *Helgo hin Magre.* vid. *Crym. lib.* 2. *Geneal.* 4. Horum fratrum (quos tres poſui) Rapperus, ex conjuge VVilborga ſuſtulit Thorderum *Skeggonem*, qui ſectionem hanc ſecundam poſſidet, & filiam Helgam, nuptam Chetilbiornoni Grandævo, Iſlandiæ meridionalis incolæ primario, in Mosfelle. Dictus Thord: Skeggo, ex Norvegiâ in Iſlandiam concedens, Ingulfi permiſſu, occupavit tractum, amne *Vlfars-aa*, & ſinu *Leiru vvog* interceptum, fecitque prædium ſibi, ſuo de cognomine, *Skeggia-ſtad.* Is aliquot primoribus Iſlandiæ incolis, ſtemmatis nobilioris Princeps extitit.

SECTIO. 3. Hallerus *God-lós*, i.e. atheus. Ejuſdem ſcilicet, cum patre Helgone, cognominis, utrique à perditis idololatris, convitii ergo, impoſiti. Is in Iſlandiam devectus, ab Ingulfo (ut complures alii, loca habitanda) agrum accepit, à ſinu *Leiru-vvog*; ad amnem uſque *Mógils-aa*; prædium Mulæ, ædificans. Ipſius filius Helgo, avi nomen gerens, duxit Thorridam, Chetilbiornonis Grandævi filiam, quibus natus eſt Thorderus de *Aalffa-neſe*; uxorem nactus Gudrunam Rafn-killi filiam.

SECTIO. 4. Helgo, cognomine *Bióla*. Chetillus ille Simus, Pedonis, paulo ante memorati, filius, duxerat Ingueldam, Chetilli *VVadurs* [temperiem & tempeſtatem aëris notat, item arietem.] Baronis de Ringa-rijke. Norveg. filiam, Quorum liberi Biorn *hin Auſtræne* & hic Helgo Bióla, filii & filiæ Auduna, cognomine *Diup-audga*, q.d. profundè dives, vel prædives; & Thoruna Hyrna (neſcio an cornuta) appellata. Chetillus Simus à Comato, Norvegiæ Rege, Orcadibus præfectus eſt, ut ſupra, ſed invitus; quod ipſe in Norvegiâ, bona & poſſeſſiones ſatis amplas haberet, quibus novit Comatum, ut reliquorum Nobilium bonis, inhiare. Vnde per hanc præfecturam, latronum & piratarum, inſulis iſtis, ut plurimum, infeſtorum, direptioni, Simum illum objicere, Regi placuit. Ac ut abſque Piratis foret, quamlibet offenſæ occaſionem adminiſtratæ minus, ad Regis invidi, gratiam provinciæ, ſive

aliunde,

aliunde arripere. Principaliter tamen ſubdolè id quærebatur; ut *Simus* piratarum vi, ipſis Regibus, id temporis formidabili, victus ſuccumberet. Porro filius Chetilli, *Bióla*, Norvego patre, ipſe Norvegus, ut ſatis patet, relicto in Hebridibus parente, Iſlandiam adnavigavit, exegitque apud Ingulfum, primam, à ſuo adventu, hyemem. Mox vere ineunte, de nutu & voluntate ejuſdem, occupavit interamnium Kialarneſenſe, à *Mógils-aa* uſque *Mydals-aa*; prædio Hoff. ibidem conſtituto. Filius Helgoni Biölæ fuit VViig-aRapperus, & Kolſvenus, pater Ogmundi, cui Ionas, primus Epiſcopus Holenſis in Iſlandiâ natus eſt.

SECTIO. 5. Orlygus Rappſonius; Pedonis nepos. Natus quidem in Norvegiâ, educatus in Hebridibus, apud Antiſtitem Patricium (*Patrix Biſcop.*) qui jam adultior, ad Iſlandicam coloniam, animum adjecit; ubi & conſanguineos, & populares ſuos, conſediſſe, exploratum habuit. Iamque abiturienti, injunctum eſt à nutritio, Patricio nempe, Hebridum illo Antiſtite, ut ædem divo Columbo ſacram, in reſidentiâ, apud Iſlandos, ſibi contingente, extrueret. Paruit mandato, quam primum licuit, Orlygus. Sed litus Iſlandiæ Meridionalis, cogente tempeſtate, prætervectus, occidentalem primum attigit, portui occupato, de ſuo nomine, appellationem fingens, hodie retentam, *Orlaugs-Hóffn.* Sinumque ipſum longiuſculum, quem primum intravit, à nutritii ſui, vocabulo, *Patrix-fiórd*, nuncupati voluit: exactâque ibidem hyeme, ſociorum aliquot, iſtic ad habitandum relictis, vela retro in Meridionalem Iſlandiam, convertens, in *Kialar-nes*, Iſthmo, ab Helgone patruele ſuo, antea occupato, ſubſtitit; ubi etiam menſibus aliquot elapſis, prædium fundavit in Æſiuberg, indulgente patruele; ædemque, ut juſſus fuerat, D. Columbo, ibidem dicavit. Hujus Orlygi filius, Geirmundus, & VVælauga, filia, nuptum data, Gunnlaugo Orms-tungu, Hromundi de Thverar-Hliid filio. Quibus filia Thorrida, contigit; Illugi Fuſci, de *Gilsbacka*, mater.

SECTIO. 6. Svartkillus. Fuit hoc nomine, quidam ex Scotiâ adventans, qui alienigenarum primus, in Iſlandia deſedit. (id quod Norvegorum coloniâ nihil antiquius infert) cui inter amnes, *Mydals-aa.* & *Eiliifsdals-aa*, locum occupare, permiſſum eſt; habitavitque ruſculum, *Ridafell.* i.e. mons capreolorum; deinde loco quodam alio. *Eyre* vocato.

SECTIO.

SECTIO. 7. VValthióferus. Modo dictus Orlygus, à fenio tandem, *Hin Gamle* eſt notatus; præter memoratos liberos, ſectione quinta habuit filium VValthioferum, vallem profundam *Kiös*, nactum incolendam, prædium *Medal-fell.* Hinc VValthioflingorum familia. Cujus atnepos Ericus olim Gróulandorum Epiſcopus.

SECTIO. 8. Thorerus. Occupavit inter amnes, *Lax-aa* & *Foß-aa.* tractum ſibi conceſſum, prædium *Hvammur*, à quo *Hvamm-Thorer* dictus eſt. Huic inimicitiæ interceſſerant, cum quodam Reff, vel Reffvero (vulpem ſonat) annoſi gerente cognomen. Litis anſa fuit, vacca quædam ſingularis præſtantiæ, quæ cum bubus 40. omnibus ex ſe natis, ſub dio paſcebatur, reliquis armentis, tempore hiberno, in ſtabula actis. Nomen vaccæ, Brynia (Lorica) loricati militis inſtar, brumam ſuſtinentis, à qua vallecula; ubi illa paſcebatur *Brynju-dalur*, dicebatur. Res ad arma devenit, & Hvamm-Thorerus, cum ſociis octo occubuit, juxta locum *Thores-Holm.*

SECTIO. 9. Thorſtenus, Solmundi F. Avum is habuit Thorulfum *Smór*, occupavit inter *Botns-aa.* & *foß-aa*, ſitum agrum, cum tota valle *Brynju-dal.* Hujus uxor Thorgerda, Helgonis Skarpa (acris) filia, quibus conjugibus, natus eſt Reffverus annoſus (antiqua vulpes, non facile capienda laqueo. Conveniunt rebus; perſonis etiam quandoque; nomina ſæpe ſuis) Hinc Brynjudalenſium orta eſt familia. Hactenus dictas *Terraſque tractuſque maris*, *valleſque profundas*, Ingulfus ille Megalonymus, occidentem verſus, ut dominus poſſedit, licet aliis uſurpandas tradiderit. Quid autem orientem verſus ſibi vendicaverit, poſtmodum dicetur inferius. Reliqui familiarum principes, ſibi quiſque hic aſſignatum locum, Ingulfo indulgente, demum etiam poſſederunt, ſuiſque hæreditarium fecerunt.

SECTIO. 10. Avangerus. Nomen fuit, viro cuidam Irlando (alter is fuit non Norvegus incola) habitanti prædium *Botn*; ubi ſylvæ tum creverant, navigiis aptæ majoribus; ſed jam forraſſis vix virgulta conſpiciantur, naturâ ſoli adeò uſque effœtâ factâ.

SECTIO. 11. Rolgrimus annoſus; Patre Rolfone ſatus, Barone Norvegico, occupavit ſolum, amne *Botns-aa*, & *Kalmans-aa*, interclufum, prædium fuit *Ferſtikla*; uxor Gunnvara, Hrodgeiri

 cogno-

cognomine ſapientis filia. Horum filius Thorhallus, nepos Kolgrimus, pronepos Steno, abnepos Keiſterus; inde Keiſtlingorum familia. Fuit etiam Kolgrimo Annoſo, filia Bergthora Reffueri annoſi conjunx.

SECTIO. 12. Qui iſthmum, cum promontorio *Akra-nes*, primi occupaverint.

Nempe Thormodus & Chetillus (hic cognomine Bufa. i. e. vapor.) dictum iſthmum cum promontorio, quem amnes, Kalmans-aa. & *Vrrida aa*, à reliquâ viciniâ diſterminant, primi occuparunt; ille quidem latus meridionale, hic reliquum montem. Chetilli filius Iôrundus *Hin Chriſtne*. i. e. Chriſtianus, prædium extruxit *Iórundar-holltt*. poſtea *Gardar* dictum. Thormodus in Hólme conſedit. Nuncium Iórundus jam antea miſerat cultui idolorum; unde id cognominis, ipſi, haut inviti, ſed non magno cum æſtimio, largiti ſunt; ipſius poſteri in manu ſcripto prolixè referuntur.

SECTIO. 13. Aſulfus, Iſlandiæ Eremites. Dicto modo Iórundo, conſanguineus, in Iſlandiam primò Orientalem appulſus, in Meridionalem, lento itinere, migravit. Et quum ab idolis non tantum, ſed & idololatris, eórumque conſortio penitus abhorreret, ad eremum montanam, ſub monte nempe *Eya-fiall*, animum adjecit, factâ ibidem domo, ſive manſiunculâ ſolitariâ. Mirantibus autem ethnicis, unde diutius viveret hic Eremita, ſive Anachorita, re pecuariâ, deſtitutus; deprehenderunt rivum piſcoſum, tuguriolum Aſulfi, allabentem, ut inde commode victitaret. Verum indidem, ab idololatris deturbatus, larem aliò transtulit, nihilo pacatiores Ethnicos expertus, quod etiam illic piſcina non deeſſet. Tertiâ extructâ, loco etiam adhuc alio, domunculâ, pari piſcium ſuppetente copiâ, eandem expertus eſt ſemper ab invidulis, fortunam. Quibus Aſulfi piſcinis inhiantibus, è faucibus bolus ereptus eſt; piſcinis iſtis omnibus, inutilibus factis. Tribus autem iſtis locis, unde Aſulfum ejecerant, poſtmodum, tria ruſcula poſita & habitata ſunt, ab ipſo ſingula denominata, *Aſulffs-skále*, quod ad rei geſtæ memoriam, non ſine fato, factum crediderim. Aſulfi autem nomen poſterior ætas, in Iſulfum vel Iſolfum, mutavit, ut ruſcula illa, hodie, *Iſolffs-skälar* vocentur. Porro Aſulfus ex Eremiâ ſuâ deturbatus ad contribulem Iórundum, in *Jorundar-holltt*, conceſſit, humaniter ſuſceptus, nec tamen voluit

luit licet Christianismum professi, multo minus aliorum hospitio uti, sed domunculam nonnihil remotam & solitariam delegit; ubi ad vitæ exitum à consanguineo sustentabatur.

SECTIO. 14. Beiganus mansionem impetravit, inter *Beria-dals-aa*, & *Vrrida-aa*, habitans *Beiganda-stadt*.

SECTIO. 15. Fridanus *Hin-Audge*, opulentus, consedit inter amnes *Lax-aa*, & *Kalmans-aa*, ipsius prædium *Midfell*. Ex cujus posteris descendit Branderus, Episcopus aliquando Schalholltensis.

SECTIO. 16. Ormerus, cognomine *Haffnar ofmur*. Occupavit tractum *Mela-Huerffe*. medium inter *Andakiils aa* & *Lax-aa*. prædium *Höffn*. id est, portus, à quo cognomen ipsi *Haffnar-lormur*. prædium illud situm habet, sub monte, cui etiam à portu nomen *Haffnar-fiall*. Filius ipsi Thorgeirus *Hógguin-kine*, quasi genam vulneratus vel dissectus; fuerat enim Haquini Adalsten: fil: Comati Norvegiæ Regis, aulicus, inprimis strenuus, Qui cum in loco Fitium, pro domino fortiter pugnaret, obscæno vulnere, faciem fædatus est. Nam, ut Salustii ferè verba sunt; strenuus quisque in prælio aut occidere, [i. e. occumbere] solet, aut graviter vulneratus discedere &c. id quod etiam Thorgeiro huic Hógguinkinnoni, usu venerat.

SECTIO. 17. Hrodgeir & Oddgeir, fratres. Loci occupati partem, Haffnar-Ormerus, benignè concessit Hrod-geiro, sapientis (*Hin-Spake*) cognomentum merito; prædium Saurbær: pariter atque Oddgeiro, fundus *Leir aa*, obtigit, sed cum procedente tempore, armentis pascua non sufficerent, fratres isti locum mutabant, versus orientem, seu in orientalem Islandiam, minus anguste adhuc habitatam, larem transferentes; ubi hodie *Rónamaña Reppur* vocatur, ubi prædia, Hrodgeirus quidem nomine Oddgeirus *Oddgeirus-Hóla* erexerunt. Rón-guerdinga repp. vide Sect. 76.

SECTIO. 18. Skallagrimus Quælldulfi. F. Propria fuerunt his nomina, Vlfus (vel *Vlfo*) & Grimus; sed certâ occasione, cognomine proprium ingrediente, sic compositâ & prolongata. Quælldulfus (vel *Quolldulfur*) à tempore vespertino; *Kvólld* vespera: sub quam, hic homo, Naturæ quodam vitio, animum mutare solebat; unde natum proverbium, de pueris sæpius sub vesperam & noctem, quavis re offensis, ac ejulatui obnoxiis: *Komeñ-er á barned Kvólld úlffur*. Danicè. *Quælldúlff er faren paa-barned* &c. Filio autem Skallagrinno, calvitium fecit cognomen. Natus est vero

 Quæll-

Quælldulfus, patre Bialbone, & Berâ, five Hallberâ, matre, filiâ Vlfonis, domini de Raffniftu, cognomine *Oarga*, quafi animofus & audax, & confidentiâ Leoninâ. Leonem enim ex omnibus feris, appellamus, *Dyred Oarga*, quod metuere nefciat. Vide Crymog. lib.2. general.3. Fuerunt Quelldulfo filii, Majorum, ut fanguine, ita virtute, præftantiffimi, Thorulfus & Skallagrimus. Et Thorulfus, filiorum natu major poftulante Comato, aulæ Regiæ adfcriptus, quamvis apud Regem (ficte an verè) in magno effet precio; ut cui talem aulicum, tam generis claritas, quam virtutum fuavitas, merito commendaffent; tamen ab eodem Rege, Calumniatorum fraude (ut interpretantur quidam) feducto, infons, &, ut dixi, præclarè meritus, per infidias, nocturno incendio, cum 100. viris domefticis, neci datur; Rege, inquam, cum 300. armatis fuperveniente, quem actum Regio nomini, cum aliis, alias memoratis, maculam indelebilem afferentem Crymogæa latè perfequitur. Poft hanc indigniffimam tanti viri cædem, pater orbitatis, & hinc orti doloris, impatiens, adhæc fuorum & filiorum, ditionum, omniumque bonorum, confifcationem prævidens; five illi Comati ficarios, domi refides, expectarent; five exules, complurium exemplo, abirent; exilium moræ, & ampliffimarum poffeffionum, quamvis jure optimo, quæfitarum, occupationi & cuftodiæ, prætulit; ac fine morâ, navigationem Iflandicam, cum relicto fibi filio Skallagrimo, adornat, eamque cum 60. virorum fodalitio, ingreffus, ante vifam Iflandiam, moritur; filio cum fociis, navigationis progreffum, continuantibus, atque adlittus Infulæ Meridionale, appellantibus; primum quidem in Ifthmo *Knarar-nes* (à *Knór*. i.e. navis) mox vocitatum, in provincia *Myra-Seeit*. Quam ut totam defertam, ita horridam, & perpetuo nemore, inde à littore, in montanos ufque tractus, confitam, expertus eft Skallagrimus, occupavitque: latifundio occupati tractus, prædium capitale imponens *Borg*, à quo & finum, in cujus litore appulerat, nofter Skallagrimus *Borg-ar fiórd* dici voluit, appellatione hactenus non obliteratâ. Hunc itaque vaftiffimum tractum, fociis & amicis poftea ad inhabitandum conceffit, prout deinceps apparebit. Skallagrimus autem etfi fuo, patrifque ac fratris, occifi à Comato, nomine, fatis inclaruit; tamen filiorum Egilli, & patrui nomen referentis, Thorulfi, famâ & rebus geftis ad ejufdem heroicam memoriam, laudis non parum acceffit: quam

rem,

rem, hic non est amplificandi locus.

SECTIO. 19. Grimus Halogiensis *hin Háleyske*. Fuerat ille Quælldulfi intimus amicus, quem idcirco fecit filius Skallagrimus, maximi, ipsique habitandi locum, cis fluvium (quem vocamus) *Hviit-aa*, attribuit; inter *andakiils-aa*, & *Griims-aa* prædium *Hvaneyre*. Prosapia autem occurrit in sequentibus.

SECTIO. 20. Thorbenus Fuscus, *hin-Svarte*. Sic vocabatur, qui ab Haffnar-Ormero, redemit agrum, inter Sola-eyre & Fossaa jacentem, habitans in *Skelia brecku*. Filius hujus filiam duxit Thorberni de *Arn-Hollt*; quibus nati sunt Thoratinus cæcus (re ipsâ an nomine tenus ignoro) & Thorgisellus cognomine *Oraskálld*.

SECTIO. 21. Skorerus *Chetilli Guffu*, supra dicti libertus, incoluit vallem à suo notatam nomine, *Skora-dall* supra stagnum, quod ibidem visitur *Skora dals-vvatn*; sic enim stagna ferè majora dicuntur. Qui Skorerus ibidem cæsus est.

SECTIO. 22. Biorno *Bullbere* i.e. Chrysophorus. Habitavit vallem *Reykiadal* (ab exhalatione thermarum) meridionaliorem; prædium *Gullbera-stad*. Conjunx Liotuna Kolgrimi annosi filia, iis natus est Grimkillus *Gode* (non *góde*) per ô crassum vel geminum, scribendum & pronunciandum, variat enim scriptio & pronunciatio, significationem; cum Gode legum & delubri præfectum Deastrorum, bonum an malum; *goodur* vero vel *gódur*, etiam *goode* in Nominativo, simpliciter bonum, designet. Iste autem Grimkillus Gode, fundum habuit *Blaa-skóga*. Vxor fuit Grimkillo isti, Sygnia VValbrandi, (ab accipitre & gladio) filia, quæ Hórderum & Suart-Hóff-derum, vivo suo peperit, ac præterea duos. vid. Manuscr.

SECTIO. 23. Thorgeirus Meldun. Supra *Gryms-aa*, viciniam possedit, Chrysophori permissu prædium ipsi *Tungu-fell*, uxor Geirborg Balkonis filia, ex qua Væleifum suscepit.

SECTIO. 24. Floko, non ille Islandiæ tertius inventor, sed ejusdem nominis alius, conditione servus; cui dominus fuit Chetillus Guffa, supra, à quo hic Floko jam manumissus, possidendam nactus est vallem Floka-dal. ibidem interfectus.

SECTIO. 25. Olefus, cognomine Hiallte, quod aliàs proprium est. Vir cumprimis celebris; appulit in sinu *Borgar fiord*, occupavit, nutu Skallagrimi, amne *Griims-aa* & *Geirs-aa*, interce-

pta loca, prædium *VVarmalakur*. Filii, Rageras, de Laug-ar dal, & Thorarin Islandiæ aliquando Nomophylax. Ex hoc etiam disertâ genealogiâ descendit Thorlacus Runulfi F. nominatissimus Skalholltiæ Episcopus.

SECTIO. 26. Chetillus cognomine Blundur. i. e. somnus. Qui tamen nihil minus quam somnolentus, cum filio Geirone, hucadvecti, apud Skallagrimum primo diverterant; & Geiro ductâ ejusdem filiâ, suadente socero, occupavit loca, inter *Flokadals-aa* & *Reykiadals-aa*, usque Raudgil, Geiro hic opulenti cognomen adeptus, tenuit prædium *Geirs-Hliid*: Denotat *Hliid*, latus montis cujusvis. A patre ipsius Blundone, Stagnum *Blunds vvatn* dictum constat, qui prædium obtinuit *Tradar-Hollt*. Sed Geironis filii fuere *Thorgeir Blundur*, Blund-Chetillus (avi inverso quasi nomine; adeo Blundi nomenclaturam, illa familia magni fecit) Suartkillus de Eyre: Filia Bergdiisa, nacta in matrimonium Gisserum de Riisum, ex quibus descendit Thorderus cognomine *Riisablundur*.

SECTIO. 27. Ogmundus *Breid skeggur*, à latâ barbâ: pater illi Vlfarus, Avus paternus Vlfo, cognomine *Fitia-skegge*, etiam ille cognomen gerens à promissâ barbâ & prædio, Fitiar, eximio, in Norvegiâ; unde ipsum exulasse, ut plurimos, verisimile fit. Abavum habuit hic Ogmundus, Thorenum Hlæjanda, à risu. Huc ubi ventum est, *Breidskegge* consedit inter Albim & *Reykdals-aa*, in prædio *Breid bólstad*, quasi Latifundium dicas. Vxor ipsi Geirlung, Thormodi de Akranese, filia; quibus progenitus est vir magni nominis Tungu-Oddur & filia Thorrida. Quorum prosapiâ in inscr. prolixè.

SECTIO. 28. Rauderus. Habuit prædium *Raudg-gil*. Filii, Vlfo de Vlfstad, Auderus de Audstad. Hunc Hórderus Grimkilli occidit.

SECTIO. 29. Grimus Prædium Grims-gil, Filii Thorgisellus Auga, de Augastad. Hranerus de Hranastad, Pater hujus Grimi Staffn-grimus, de *Staffngrimstad*, ad ripam Albis cæsus est: monumento adhuc conspicuo, ait manuscriptum.

SECTIO. 30. Thorkillus *Kornamúle*. Quasi os vel mentum hordeaceum; locum habitabilem obtinuit, supra rivum *Kolls-læk*, usque *Deilldar gil*, consedit in prædio Aas, meridionaliore; filius Thorbergus Kornamule, ejusdem cum patre scilicet cognominis; cui nupserat Oluff Ofeigi filia. Liberi horum conjugum Eysteinus & Haf-

& Hafthora, celebri viro Eidero Skeggonis, ex Midfiórd, filio, nuptum tradita eſt. Crymogææ lib. 2. in geneal. Eiderus ille, prædium Aaſenſe poſtmodum incoluit; juxta quod Avi, Finnonis nomine ſepulctum viſitur. Eideri frater, Kollerus, tenuit prædium *Kolls-læk.* Eideri filii. Eyſteinus. Illhugo.

SECTIO. 31. Vlfo. Crimi Halgienſis ſupra memorati filius; matre Thorlaugâ Thormodi Akraneſenſis filia; loca cis Albim, montium tenus ſibi vendicavit, prædium Geitland (à capellis) Filius Rolfo *Hin Audge.* i. e. opulentus, & alii, cum proſapiâ numeroſâ quam manuſcriptum latè perſequitur.

Atque hactenus fuit aliqualis chorographia, cum primatum habitationum & incolarum recenſu, Meridionalis Iſlandiæ; inde ab Ingulfi fundo principali, ubi initium fecimus, occidentem verſus. Sequitur talis relationis continuatio, verſus orientem, dum meridionalem Iſlandiam orientalis excipiar.

SECTIO. 32. Thraſerus Herjulfi F. Occupavit ingentem illum tractum, inter *Kallda Kloffs-aa* & *Iókuls-aa*, Hujus autem pater Herjulfus, cognomine *Horn-brióttur* (à fracto cornu ſive cratere corneo) aulicus Halfdano Fuſco, Norvegiæ Regulo, qui quod Rege, amicis epulum exhibente, alium quendam commilitonem, cratere corneo, multo argento inſigni (quibus grandioribus illa ætas uſa eſt) percuſſum occidiſſet, diffracto cratere, *Horn briotur*, cæpit appellari; ac ſimul Dominum iratum metuens, ut qui non cornu vel craterem tantum, ſed ſtrictam convivii legem, fregerit, aufugit in Sueciam; ubi liberaliter ſive benignè à Sueco exceptus, Regis ſororem (forte notham) in ſui amorem pellexit, ſicque non minus, quam cornu & convivii legem, hoſpitii jura, fregerat & violaverat: præter puellam Regiam, non modo violatam, ſed ablatam; quam jam, herum & hoſpitem & Regem, tantâ ingratitudine & injuriâ, ſupra modum exacerbatum, excandeſcentemque, fugâ arreptâ devitans, in Norvegiæ deſerta loca, ſecum abduxit; à Iamtælandiâ Norveg: verſus meridiem, habitatiunculâ, in valleculâ quadam, collocatâ, quæ ab ipſo *Herjulfs-dal*, eſt nuncupata Danicè *Herdal.* per validam ſyncopen. Vide deſcriptionem Norveg: Domini Petri Vndalenſis. Danicam. Hic itaque Thraſerus, noſtras factus, videtur fuiſſe Regis Sueciæ ex ſorore nepos.

SECTIO. 33. Olverus *Barna-kall.* Sic dictus; quia piraticam,

more

more sui sæculi, excercens, pueris & infantibus, contra piratarum consuetudinem parceret, qua commiseratione, immaniores illi, Olvero infensi (ac si illorum barbaries Olveri humanitate damnaretur) probrosum, ut istis visum, cognomen, eidem affinxerunt; sed contra harpiarum intentionem, agnominato, in summam cedens Humanitatis laudem & gloriam. Filius fuit Olvero Stenulfus, qui uxorem accepit Vnnam. Thorberni Laxa-kalli (ab esocum capturâ) filiam. Olveri item filius alter Steinmodus. Konaldi pater, &c. tertius Einarus pater Ofeigi *Bretter*, ac Oleifi, (Olai) *Breid*, cui Thormodus Skapte genitus est. Ofeigus ille Bretterus, cum consanguineo Thormodo, affinem sibi antea factum Thorbernum, in Islandiâ degentem, inviserunt, à quo habitandi locum nacti sunt, in Gnup-veria-Repp. Ofeigus quidem illiustractus partem borealem, amnibus *Thve-raa* & *Kalffs-aa*, interclusam; prædium ipsi *Ofeig-stad*: juxta Steinhollt. Thormodus vero Skapte, partem magis orientalem consideus in *Skapta-hollte*: Quorum familiæ videantur in Manuscr.

SECTIO. 34. Thorbernus *Laxakall*. Occupavit vallem *Thiórsaar-dal*, prædium *Midhus*. Filius Ottkillus, cui prædium, idem cum ipso nomen gerens; Item Thorkillus, & Thorgisellus, *Laxakall*, filii fuerunt. Ex quorum posteritate natus Gysserus Episcopus Skalhollltensis.

SECTIO. 35. Thorbernus *Iarla-kappe*. i. e. Baronum pugil; fortassis Orcadensium, natione quidem Norvegus, sed in Orcadibus multum versatus, Islandicam coloniam complexus est; sedens vel habitans in Ronamanna rep. ad rivum *Sals-lak*, prædium *Hólmur*. Filii Solmundur & Thormodur. Posteros remotiores manuscriptum suppeditat.

SECTIO. 36. Brondulfus & Maurus, fratres. Nati parentibus Naddodo (non illo Islandiæ primo inventore) & Iorunnâ; occuparunt etiam Ronamanna.repp. prædium *Brondulfo Bergh-ilur*. Mauro Maarstad. Posteri habentur in manuscr. nos enim habitationum propria nomina, magis curamus ratione chorographiæ. Interim ex Mauri prosapiâ natus est quidam Episcopus Skalholltensis.

SECTIO. 37. Thorbrandus cum filio Asbrando. Is patrem habuit Thorbernum Oarga, cognomine supra explicato; Veterum namque cognomina, virtutum aut vitiorum significata, sæpius habuere. Hi beneficio Chetilbiornonis, supra memorati, locum adepti

pti sunt, supra amnem *Staks-aa*, usque *Kallda-quisl*. Prædium *Hauka-dal* (vallis accipitrum) unde paulatim sese dilatabant.

SECTIO. 38. Væfreyderus Grandævus. Obtinuit inter *Heiitaa* & *Kallda-quisl* determinatam habitationem.

SECTIO. 39. Chetilbiórno. Patre natus Chetillo ex Naumudal, Norvegiæ notâ provinciâ, matre Asâ, Haquini Baronis, Griot-gardo (Saxorum aggerem sonat) prosati filiâ. Vxor fuit Chetilbiórnom Helga Thorderi, Sect. 2. recensiti, nata. Islandiam & hic petivit, nave, cui Ellide nomen, vectus, appellens in ostio fluvii, cui à nave horum advenarum, appellatio formata est, *Ellidaar-ós*, exactaque apud socerum hyeme, ineunteque vere, superatis tesquis vicinis, conjunctim, cum eodem, sedes novas quæsituri, pernoctârunt in loco *Skalabreckur* postea vocato. Sic dormitoria, & domus alioqui solitarias nuncupamus, nempe *Skala*, qualem ibidem, præcipitato opere, extruxerunt; ut aëre forsan repente mutato, vicinum eo receptum haberent. Inde paululum progressi, amni obvio vocabulum fecerunt *Oxar-aa*, à securi in gurgitem submersâ. Hic locus est, anniversariis comitiis Insulæ ut supra indicatum. Eodem temporis articulo, ulterius adhuc progressi, montis cujusdam pediculo nomen imposuerunt *Reidarmule*, à pisciculis, in amne captis, *Oxar-aa*, ibidemque in montis, ut dixi, pediculo, relictis (sponte an incuriâ) & Chetilbiorno, illa excursione, amplissimos tractus mediterraneos, de consilio soceri, Thorderi Skeggia, sibi proprios vendicavit; successu temporis sic vocatos, *Grims-nes Laugar, Biskops tungur*, qui postremus interamnium est, seu terræ lingula (vel potius ligula, cum Martiale) inde à diversâ scaturigine duorum amnium, inter eosdem exporrecta, dum ad eorundem confluentem, instar exertæ linguæ, quasi in mucronem quendam desinat. *Biskops tungur* vero appellari, Episcoporum demum tempore (quod res ipsa loquitur) à sede Episcopali, & cathedrali Ecclesiâ, Skalhollti fundatâ. Fundum præcipuum Mosfell, sibi Chetilbiotno delegit. Ille novem liberorum prosapiâ clarus evasit; nec minus divitiis; cujus rei specimen edidit; cum jam filii ipsius, magnificum in Prædio Mosfelldensi extruerent lararium, obtulit illis pater tantum argenti, quantum trabem unam suggrundiorum, solidam (non concavam) opere fusorio, faciendam sufficeret; per trabem quam dico, intelligo id ipsum, quod antiquitates manifestè exprimunt, *Eyn tverbielck*; *husedt*, quam ad minimum,

 12. cubi-

12. cubitos, sui longitudine æquâsse, verisimile fit: vel si quis 20. conjiciat, fortasse minus aberrabit: Nam & nostro ævo, domuum quarundam, illam latitudinem, conspectam existimo: Porro filiis Chetilbiórnonis, argentum recusantibus, pater subiratus, illud tauris bijugis, in montem vicinum avexit: Adhibitis tantummodo, servo Hakone & Bota ancillâ, qui ipso præsente hero, ipsiusque coacti imperio, illud tam profunde defoderunt, ut in hunc usque diem, nunquam sit recuperatum. Hinc è vestigio, mancipia ab hero interempta sunt, ne defossum proderent thesaurum, occidit Hakonem in montis rupturâ *Haka-skard*, Botam in *Botar-skard*. Ex Chetilbiórnonis prosapiâ duo Episcopi Skalholltenses, Isleifus & Gisserus: Collerus item Vikensis in Norvegiâ Episcopus, prodierunt. Genealogiâ in M. scr. satis expeditâ.

SECTIO. 40. Asgeirus Vlfson. Huic filiam elocavit Chetilbiórno, dote *Hliidarlónd*, ornatam quibus natus est *Geir Gode*. i. e. in Toparchiâ quavis, quivis legum præfectus; ut alteram cognomine opulento, *Haffnarlónd*, dotis nomine auferentem. Prædium Asgeiri, *Asgeirs-hliid*. Prosapia in Manuscr.

SECTIO. 41. Grimus Valtormi F. al. Vætormi F. Occupavit prædium *Ondventnes*. deinde *Burfell*. Filius ipsius prædium *Mideinge* obtinuit.

SECTIO. 42. Hallkillus Chetilbiórnonis frater uterinus. Oblatum à fratre Chetilbiórnone habitandi locum recusans, maluit cum Valtormio de ipsius habitatione, armis & quidem duello certare, nisi volens cederet; quam victor obtinuit. Hæc namque consuetudo, isto sanè ævo, ut lex recepta, prævaluit. Hallkilli filii fuerunt, Ottkillus, homo improbus, cæsus à Gunnero de *Hliidarenda* & Oddo de *Kidaberge*, pater Hallbiórnonis, fortissimi viri, apud Pharos, *Halldjarnar-vórdur* ad rei gestæ memoriam excitatos, unius contra plures, insigni cum laude dimicantis, ac tandem cæsi.

SECTIO. 43. Thorgrimus, *Biilldur* cognomine, Quod uncum notat, quo in venæ sectione Chirurgi utuntur. Occupavit supra amnem *Thueraa*, montem, *By'lds fell*. cum prædio, ibidem extructo, ejusdem appellationis.

SECTIO. 44. Steinraudus, ejusdem Thorgrimi libertus, occupavit *VVats-lond*, prædium *Steinrauds-stad*, prosapia in Manuscr.

SECTIO. 45. Ormerus Grandævus Filius Evandri, Baronis Norvegeci, occupavit tractum cis amnem *VVarm-aa* usque *Thueraa*, &

aa, & totum montem *Ingulffs-fell*, prædium *Hvammur*. Evander ille Baro, in Norvegiæ ſinu *Haffurs-fiórd*, contra Comatum, Norvegiam jam ſubigentem, depugnaverat; quare ipſius filio, minus faventem, ſeſe Rex exhibuit.

SECTIO. 46. Vlfo. *hin Egdske*. Quia hic advena eſſet de Ogdum Norvegiæ oriundus, àgraſſante in ſuam gentem Comato, extorris actus, appulit in *Vlfaar-ós*, prædium ipſi *Skogar*.

SECTIO. 47. Raffnerus *hinn heimske*. i.e. Stolidus: Non quidem re, ſed nomine, vir inſignis & magnificus, & ſic cognomine per antiphraſin intelligendo. Patrem Valgardum habuit, Halldi, Hilldetann. Dan. Regis atnepotem; Iſte Raffnerus, ex ditione Norvegiæ Nidroſienſi, ſive Thrandheimâ propulſus, in Iſlandiam ſe contulit; occupato agro, inter amnem *Kallda-kloffsaa*, & montem *Lamba-fell*, ab agnis. Prædium *Rauda-fell*, illud magis orientale; Filii *Iórundur Gode*, & Helgo *Blaafauskur*: Freygerda filia.

SECTIO. 48. Aſgeirus *Kneiff*. Patre Oleifo candido, *hin-huiite*: Skiæringi filio, matre Thorhilldâ, quæ ipſa patrem habuit, Thorſtenum *Hógabriët*, (ab aperiendis vel effringendis, veterum buſtis & tumulis) cognominatum. Occupavit Kneifferus, agrum *Lambafels-aa*, & *Schalands-aa* interjacentem: prædium *Audner*: loca deſerta notans. Filii Iorundus & Thorkillus, & quidem pater Ogmundi, cui natus eſt Ionas primus Epiſcopus Holenſis, in Iſlandia Boreali, poſt fata in ſanctulorum numerum relatus. Kneifferi filia Helga Thorlacum Epiſcopum Skalholltenſem habuit atnepotem.

SECTIO. 49. Thorgeirus *hinn Hórdske*. Quod ex *Hórdeland* Norvegiæ, adveniret; cui pater Barderus *Blóndú-hórn* [*Blanda*: eſt ſerum lactis, à miſcendo; quod non niſi aquâ mixtum bibatur, & *Horn*, cornu, ac per metonymiam crater] agrum Thorgeirus redemit ab Aſgeiro Kneiff, inter *Lambafells-aa* & *Irar-aa*, ſitum, uxor Thora Aſconis Omâlga [quaſi mutum dicas & taciturnum intelligas] filia. His nati, Thorgrimus *hin Mikle*. i.e. magnus, ſc. viribus, ita enim plærumque homines robuſtos appellitabant; & Holltathorerus: huic *Krákur* & *Skorargeir*, famoſus pugil. Thorgeiri Hórdska, fundus *Hollt* vocabatur.

SECTIO. 50. Aſgerda, afflicta vidua. Ofeigerus nomen erat, ingenuo viro, in Naumædalenſi Norvegiæ ditione ſive toparchiâ, degenti: qui Aſgerdam, filiam Aſconis Omálga (ſic vocatos

 inter-

interpretor, viros taciturnitatis ornamento præditos minimeque loquaces, licet ſonet elinguem) alteram, in matrimonio habuit. Is offenſam Comati, in viſcera ſævientis patriæ, incurrit; occaſione & causâ quâ æquales alii, ſe ſuaque, ab invaſore tyranno vindicare, aut ſaltem abſcondi, & præſenti neci fugâ ſubducere volentes. Aſt tyrannus non ſolis bonis & poſſeſſionibus, verum ſanguine etiam Norvegorum, exſatiandus (homo enim quilibet multi cibi, largiore potu indiget) non contentus innocentis exilio, & amiſſione bonorum juſtè quæſitorum, miſit qui Ofeigerum, jam jam abiturum, interficerent, ut cui, non fundos tantum, & opima prædia, ſed etiam Spiritum invideret. Clementior habendus, ſi pro voto Poſcenii Nigri, aërem ſive ſpiritum, ſubditis vectigalem feciſſe, contentus fuiſſet. Quid miſera ageret vidua, viro ſimul, & vitæ omnibus ſubſidiis deſpoliata: quid occiſi frater Aſgerrus, viduæ affinis? Iugulum ſcilicet Regiis ſicariis, viduæ & affini, mariti & fratris intimi cæde fumantibus, porrigendum reſtabat. Sed Domini infami & infandâ cæde territi, nullum moræ relictum ſpacium videbant; unde inſtitutam navigationem Iſlandicam, feſtinanter & tumultuariè arripiunt, ac inceptant; terram contingunt, & manendi loca nanciſcuntur, inde à *Selcalands-múla*, ad fluvium uſque *Markar-fliót*: prædium his advenis, *Kattarnes* à fele. Viduæ affinis, & jam fidus Achates, Thorulfus, ripam fluvii *Markar-fliót*, occidentalemque montem *Thorulfs-fell*, incolendum accepit; cujus prædium, ejuſdem, ibidem, factum eſt, cum monte, Nominis. Hic viduæ affinis ſibi, filium jam patre orbatum, & ætate tenellum, alendum & educandum ſuſcepit, nomine Thorgeirum, patrem poſtea factum Niali, conſultiſſimi, innocentiſſimique viri; tum futurorum ſagacitate eventuum, ſimul & proſapiæ & affinitatis gloriâ clariſſimum.

SECTIO. 51. Asbernus & Steinfinnus fratres. Reyr Chetilli filii, occuparunt ſupra amnem *Kroſſ-aa*, à fluvio *Markar-fliót* ad ortum. Steinfinni prædium *Steinfinnaſtad*. Asbernus vero locum occupatum, conſecravit Thoro Deaſtro, appellavitque *Thormórk*.

SECTIO. 52. Chetillus Hængur, ſic piſcem marem vocant. Magni etiam ille vir erat nominis, Thorkillo Naumædalenſium Barone, patre natus; & matre Ragnhilldâ, Chetillo Hængero, Barone, ſatâ; cujus, nempe avi materni Baronis de Raffniſtu, hic noſter Hængerus, nomen & cognomen geſſit; ſedes ille habuit in

Naumæ-

Naumædal, quo tempore Thorulfum, Quælldulfi filium, Comatus, nefariè occidi curavit; cujus mortem & necem obſcænam (ut ſupra) hic vir, Hængerus ſcilicet pro ſuâ generoſitate, tanto ægrius ferebat, quanto occiſum, præſtantiſſimum ſuum conſanguineum, majore in precio habuerat; neque vero Regem prorſus inultum ſivit. Vixerunt in aulâ Comati, delatorum Thorulfi, facile principes, Harekus & Rærekus fratres, ad calumnias & mendacia confœderati, & conjurati, qui ad cædem Thorulfi, ſibi primas dari à Rege poſtulabant. Horum paulo poſt direptis prædiis, ſatis opulentis, eoſdem fumo & favillâ, Hængerus ſtrangulavit: & ſic iter Iſlandicum adornans, tyranno ceſſit; appulitque in *Rangaar-ós* Iſlandiæ Meridionalis; poſſidens univerſum agrum, amni *Rángaa*, & fluvio *Markar-fliót*, interjectum, in quo poſtmodum Hængeri populares, potioris notæ, ejuſdem voluntate & beneficio, ſedes fixerunt. Prædium ibidem magnificum Hængerus extruxit, *Hoff* vocatum; & ex conjuge Gunningunnâ, primum Iſlandiæ Nomophylacem Raffnerum ſuſcepit; itemque Helgonem & Storulfum, Ormeri illius, omnium Iſlandorum

Quot ſunt, quotque fuerunt,
Quotque poſt reliquis erunt in annis

Robuſtiſſ: ait de hoc Ormero Crymogæa: cujus vide declarationem genealog. 11. lib. 11. Genuit autem Storulfus, præter Ormerum hunc robuſtum, Ottkillum & filiam Ragnhilldam, nuptam Gunnero Baugſonio, quibus natus eſt Hamundus, Gunneri de Hliidarenda, Iſlandorum celeberrimi, parens. Prolixa eſt in Mſcr. horum omnium proſapiæ enucleatio, & ſedium annotatio.

SECTIO. 53. Sighvaterus Ruffus, *hinn Raude*. Inter Norvegos & hic fuit celebratiſſimus, duxit relictam viduam Thorulfi illius *Quælldulf*: à Comato trucidati, qui conjuges Iſlandicam gentem, etiam locupletavere; occupato agro, à latere fluvii. *Markarfliót*, occidentali, *trybirnings mórk* nuncupato, ſupra amnem *Deilldar-aa*, prædium habentes *Boolſtad*. Progenuerunt Sigmundum, celebris *Nórdur Gyn* (citharam ſonat) patrem, itemque Sigfuſerum de *Hliid*. Lambonem de Lambaſtad tum Ragneidam. Gumeri de *Hliidarenda*, modo nominati, matrem de reliquâ proſapiâ Mſcr. conſulendum eſt.

SECTIO. 54. Iorundus *Gode*. Sedes diſpoſuit, ad fluvium ſæpius nominatum *Markarfliót*, verſus occidentem; prædium *Sver-*

 tingſtad,

tingstad, hodie. Specioso delubro, ibidem exædificato. Quam ædem, ut Deastris Ethnicorum sacram, agro ditavit, non contemnendo, inter *Krossaa*, & *Olldu stein*: cum dictum agrum, ignito circuitu, more istius sæculi, circumscripsisset. Ex hoc Iorundo Oddveriorum familia & magnates alii provenerunt.

SECTIO. 55. Thorkillus. *Bundinn-fiótur.* Hængeri præeunte favore, occupavit montem *Tryhirning*, à formâ dictum triangulari, facto sub monte prædio, ejusdem nominis. Liberi Borkerus *Blátannarskegg*, & Starchaterus de *Tryhirning*, necnon *Thorgnya*, Ormeri robusti conjunx. Quibus vero facinoribus clarus evaserit robustus ille Ormerus, ex Crymogæâ discendum est; id antea paulo annotatum oportuit.

SECTIO. 56. Baugerus. Hængero disponente, occupavit *Fliόts hlíd* usque *Breidabólstad* prædium *Hlydarende* [ante scilicet Gunnerum Hamundi filium] Filii Gunnerus in *Gunnars-hollte*, Eyvindus in *Eyvindar múla*, Sniallsteiñ in Sniallsteins *hóffda*, Filia quoque nuptum data Ormero, de Vælugerde [ab ejulatu] Gunnerus Ragnhilldam filiam Storulfi & Ormeri robusti, sororem, duxerat; quorum filius Hamundus, ut supra.

SECTIO. 57. Halldorus & Holgeirus Fr. In coloniâ Islandicâ, præter Norvegos, valde raros, deprehendere est, quos idcirco nomine & numero, consignavimus. Tales fuere autem, præter paucos, hactenus notatos, dicti jam fratres, ex insulis Britannicis oriundi, dicti *VVestmenn*, vel *VVestan-Umhaff*, i.e. Occidentales homines: sicut Norvegi, *Austmenn*, Orientales homines. Qui modo dicti fratres, incolarum hospitalitate freti, occuparunt planiciem, fluvio *Barkar-fliót*, & amne *Rang-aa* circumseptam; Halldorus quidem *Halldors-ey* [profluentes enim insulas faciunt] & Hallgerus *Hallgeirs-ey* sed valde minutas. Soror ipsorum *Liót* [sonat turpem vel deformem] accepit *Liótarstad*; sicut eorundem libertus *Dufftak-ur*, rusculum, *Dufftaks-hollte*.

SECTIO. 58. Ormerus opulentus, *Hinn audge*. Insula Meridionalis Islandiæ, litori, ad mill. unum aut alterum, etiam (plus minus) quasi adhærescens, dicta *VVestmanna-ey*, cum una saltem habitetur, aliis minusculis, quantum ad inhabitationem, spretis; unde nomen acceperit Crymogæa expeditum dedit, nempe à servis parricidis (quod & attigimus supra) Herjulfi Domini sui interfectoribus, qui similiter, quod essent ex Islandiâ, *VVestmenn* audiverunt,

verunt, & ea insula, quo patratâ cæde, profugerant, licet tum deserta, ab ipsis appellationem sortita est. Quæ ante hunc Ormerum opulentum, vix casulam unam aut alteram piscatorum Islandorum habuit. Dictus autem Ormerus eandem ad inhabitandum delegit proximæ Islandorum Toparchiæ, jure & legibus subjectam; atque unicâ parochiâ, contentam; Opulento pater fuit Barderus, Frater autem Aallgrimmus, *Suidenn kialcke* quasi adustus maxillam.

SECTIO. 59. Oleifus & Biórno Fr. Soghne Norvegiæ provinciæ relictæ, Islandiam præferentes, habitandi loca nacti sunt; ille *Odda hinn litla*, sive minorem, usque ad stagnum *Kangár-vatn*, & rivum *VViikiinga-læk*, à prædonibus sic dictum. Hic, nempe Biórno, agrum *Svin-haga*, amni *Kang-aa* adjacentem. Liberi Biórnonis, Thorstenus pater Hreineri, cognomine *Hollta-skalla*, & *Hallveiga* filia, cui Branderus Episcopus *Skalhollt*: fuit atnepos.

SECTIO. 60. Collerus filius Ottari, Ballaronis. Habitavit ad orientem stagni *Keidar-vatn* usque ad rivum Slotalæk & *Trollaskóg*, prædium *Sandgil*, posteri in Manuscr.

SECTIO. 61. Rolffo, *Raudskeggur*, à ruffâ barbâ. Occupavit *Hólms-lónd*, *fiskaa* inter & *Rangaa*, prædium *Fos*. Liberi Thorsteinus *Raudneffur* (nasus rubens) & Thora, mater. Thor-killi Mana, de quo fuit supra, & Asa, cujus Thorgeirus de *Liosavvatne* nepos, & Helga mater Oddi de *Mióffnde*. Ex cujus posteris descendit Marcus Skeggonis, Islandiæ Nomophylax. Thorstemus ille Raudnefferus Raudskeggonis filius, ovium grege, usque adeo abundavit, ut uno eodemque tempore 2000. numeraret.

SECTIO. 62. Thorsteinus & Thorgeirus. Fr. Nati patre Asgrimo, avo Vlfone. Barone Thelemarchico Norveg: Ab Asgrimo misit Comatus, qui vectigal sive tributum exigeret, Thorormum quendam sibi consanguineum. Denegante Asgrimo, denuo à Rege, missus est sicarius quidam Thorormus, ad Asgrimum è mediotollendum; Quâ cæde paractâ, redit à piraticâ Thorsteinus hic noster, occisi Asgrimi filiorum, natu major; Thorgeiro fratre, adhuc impubere, nec. x. ætatis annum egresso, Ille vero ut dixi, Thorsteinus, jam reversus, tam dolore, quam furore armatus, patris carnificem Thorormum, insanis modis adortus, idque domi, ferro & flammâ universâ cum familiâ delevit; etiam in numerosos armentorum greges, stragem extendens; bonis aliis mobilibus, exquisitè direptis. Hinc cum fratre juniore, Islandiam invisit; cum-

que

que materterâ Thorunna [hinc fratres illi, etiam matre orbi, præsupponuntur] quæ ad habitandum nacta est colles, ab ipsâ Thorunnar-hálsa, nominatos. Thorgeirus jam adultior, emit *Oddalónd*, & *Strónd* utramque, cum valle *VVatna-dal*; prædium ipsi domesticum *Odde*.

SECTIO. 63. Floserus Thorbeni Gaulverska, filius. Postquam inimicitiis & injuriis, cum Comato, bene diu certasset, occisis trium villarum procuratoribus Regiis, ad Islandos delatus, occupavit Rangárwellas orientaliores; hujus abneptim in matrimonio habuit, nominatissimus inter Islandos, Sæmundus *hinn fróde*, i.e. multiscius, non ignavus historiarum & annalium director, natus anno Christi mortuus.

SECTIO. 64. Chetillus *hinn Einhendte*. Livius Vnimanum dixisset; Auduni filius, occupavit Rangárwellas citeriores, & adjacentia loca, fluvio *Thiórs-aa* versus orientem, supra *Lækiar-botna*. Vxor Asleifa. Quorum prosap: in Manuscr.

SECTIO. 65. Chetillus *Vrride*: i.e. mugil. Vnimano patruelis, occupavit ad fluvium *Thiórs-aa*, adjacentia loca, sursum, vel montana versus, pergendo, prædium *Ytre-vveller*, prosap. in Manuscr.

SECTIO. 66. Thorstenus Lunanus, Norvegus quidem natus; sed vitæ generi nautico addictiss. Inventi autem sunt ævo prisco, homines præsagi futurorum; qui oraculi quodam spiritu afflati, de rerum quarundam eventibus, veri esse vates solebant, quos hic commemorare non est oportunum, neque mei propositi. *Ab aliquo tali conjectore, huic Thorsteno prædictum fuerat, in fatis esse, ut in terrâ quadam, Oceani Occidentalis nondum, inventâ,* [*cum scilicet hoc ederetur oraculum*] *ipsi moriendum foret*. &c. Thorstenus autem Lunanus (nostræ linguæ non habet interpretem.) Cum filio Thorgisello, in Islandiam, nondum plenè & planè habitatam, concedens, obtinuit superiorem partem agri *Thiórs aar-hollt*; prædium ejusdem *Dvvnáns-hollt* est indigetatum. Hic jam Lunanus, tempus Islandiæ primum habitari ceptæ, conferens cum eo, quod de mortis fataliter destinato sibi loco, acceperat, pro certo habuit, in Islandia sibi esse moriendum; unde & de sepulturæ loco, maturè cogitavit: & eventu prædictioni respondente, juxta prædium domesticum, ipso jubente, patrem defunctum, filius Thorgisellus, terræ mandavit; ingenti congesto tumulo. Iste vero Thorgisellus, socer fuit Vnimano, cujus prosap. vide

vide in Manuscr. in quâ Magnus Skalholltensis Episcopus eminuit.

SECTIO. 67. Ratormerus & Solgerus FFr. Ex insulis Britannicis oriundi, occuparunt loca, ille inter *Thiórs-aa* & *Rángaa*; *VVætleiffs-hollt*. Hic inter rivos *Rauda-læk* & *Steins-læk*: prædium *Solgeirstad*.

SECTIO. 68. Askillus *Knokan*. Patrem habuit Dubtacum: avum Dubnialum: proavum Kyriawalum Irlandiæ Regem, occupavit inter rivum *Steins-læk* & fluvium *Thiórs-aa*, prædium *Askelshöfde*.

SECTIO. 69. Thorkillus Thialffe. Occupavit inter *Thiórs-aa* & *Rangaa*, prædium *Hoff*, uxor Thorunna, Thordiisa filia. Habuerunt jam aliquot sectiones, loca occupata, vel ab ipso Hængero, vel de ipsius voluntate, ab aliis; quæ vero de insulanis istis, Sect. 67. & 68. memorantur; neminem turbare debent, ut neque illi, Sect. 5. vel. 6. supra notati. Nihil enim Norvegorum coloniæ, homines tam pauci, derogare poterint. minimè vero impediunt, quo minus Norvegi primi, insulam occupasse, verè perhibeantur. Quum isti, tam rari, alienigenæ, quicquid locorum nacti sunt, id antea Norvegi, ut Ingulfus, Skallagrimus, Hængerus & alii, totum sibi vindicarint. Neque illi Insulani quicquam, nisi Norvegorum concessione & indulgentiâ obtinuerint.

SECTIO. 70. Lopterus, Ormeri de Gaulum, filius. Occupavit inter *Thiórrs-aa* & *Raudalæk*, usque *Skvvffs-læk*, totum agrum *Breyda-myre*; adusque *Stvvffs-hollt*. prædium *Gaulvverjabær*.

SECTIO. 71. Thorviderus Vlfari F. Hunc adventantem, dictus jam Lopterus, eidem consanguineus, benignè excepit; deditque *Breyda-myre*, agrum possidendum; prædium Thorvidero *VVorsabær*; quod ille cum sociis, ex *VVrs* Norvegiæ advenerint.

SECT. 72. Thorarinus Thorkilli. F. Cujus avus fuerat, Halbiórno, Hórdakaro natus, vectus in Islandiam, appulit in ostio fluvii Thiors-aa, qui fluvius à rostro navis Thorarinæ, caput tauri, (qui *thior* vernacule dicitur) effigiatum præ se ferente, nomen sumpsit. Occupavit autem agrum, supra rivum *Skvvffs-læk*, fluminis *Thiórs-aa*, accola factus; hujus filia Heimlauga, prædicto Loptero uxor facta est.

SECTIO. 73. Hasteinus, Baronibus Norvegiæ oriundus, cum

D filiis

filiis aliquot, uxor Thora Olveri filia, Horum nati Olverus & Atlerus, consedit Hafteinus inter Raud-aa & fluvium *Olvis-aa*, prædium *Olvis-stad*, eo quod Olverus hic patri succederet; quum idem prædium antea Steinar dictum sit. Idem Olverus, agrum totum, ultra amnem *Griims-aa*, obtinuit, prædiaque ibidem sita, â *Stoks-eyre* & *Asgauts-stad*. Fratri ipsius Atlero, cessit interamnium *Griims-aa* & *Rauns-aa*, determinatum; prædium *Eradarhollt*. Atleri libertus Bratterus prædium *Bratts-hollt* meruit; itemque Leidolfus. *Leidólffstad*, quorum omnium in Manuscr. prosapia.

SECTIO. 74. Hallstenus ex Soghne Norvegiæ oriundus. Dicti Hafteini affinis, à quo dimidium tractum *Stoks-eyr:* nactus est, & in Framnesensi prædio collocatus prosap. in Manuscr.

SECTIO. 75. Thorerus. Inghaldo Noro Barone ortus, occupavit Kalldnesinga repp. supra *Fyllar-læk*. prædium *Selfoss* vide Manuscr.

SECTIO. 76. Hrodgeirus & Oddgeirus, Occuparunt, ut supra indicatum est, Róngierdinga repp. Oddgeiri filius Thorstenus *Oxnabroddur*, nepos *Hrodgeir* pronepos *Olgeir*, de *Kambakistu*. Hrodgeirus autem Oddgeiri ille frater, cognomine sapiens, habuit filiam Gunnvaram, uxorem Thorgrimi grandævi. Hinc Keistlingorum familia.

SECTIO. 77. Offerus candidus. Thorleifi filius ex Soghne Norvegiæ oriúndus, occupavit *Holls-lónd*, inter fluvium *Thiórs-aa*, & rivum *Hróns-læk* Hic Boduaro liberto suo, indulsit tuguriolum *Bódvars-toffter*.

SECTIO. 78. Olaus Brwne i.e. Niger. Occupavit inter *Thiors-aa*, & *Sand-læk* tractum *Skeid*, prædium *Olaffs-vveller*. Sepultus sub monticulo *VVórdu-fell*, prosapia in Manuscr.

SECTIO. 79. Miógsiglande, cognomine, sed proprio nomine Thranderus Biórnonis F. persecutione & maleficiis Comati Norvegiâ exclusus, & in Islandiam penetrans, inter *Thiors-aa* locum obtinuit, usque *Kalffsaa*, etiam *Sand-læk*. prædium *Thrandar hollt*.

SECTIO. 80. Alferus & Thorgrimus. Occupavit locum Alverus, ad *VVarm-aa*, amnem prædium Gnupar. Cujus cum prolis decederet, nepos ex fratre, Thorgrimus Grimulfi filius, hæres factus est, vide de posteris ejus Manuscr.

SECTIO. 81. Thorerus *Hóstmyrkur*, notat tenebras autumnales. Occupavit *Selvog* & *Krysevvich*, filius ipsius Hegro, prædium *VVog* habuit. Filius item alter, prædium possedit *Grindavisk*; is Bód-

is Bódmoderi nomen gessit, Prosap. lege in Manuscri.

SECTIO. 82. Steinmoda fæmina. Ingulfo illi Megalonymo, consanguinea, ab eodem dono accepit Rosmalanes, tractum litoris, bene vastum; inde ab *Hvaßa-Róne*. Hæc cognato suo Evandro agrum, inter *Hvaßa-Ró*. & *Quiigu-vvog*, attribuit. prosap. in Manuscr.

SECTIO. 83. *Asbiórn* Aufferi. F. Ingulfi sæpius & modo dicti, ex fratre nepos, occupavit inter *Hvaßa-Rón*, & *Hrauns holltslæk*. nempe totum Isthmum cum suo tractatu, *Aalffla-nes*, ab oloribus.

Atque hactenus Islandia Meridionalis; cujus terminus Orientalis, fluvius *Iókuls-aa*, per arenosa deserta. *Solhimna-sand*, in mare proruens. Occiduus vero, fluvius Albis, vallem habitationibus refertam è sinn *Borgar-fiórd*, versus Boream, montium tenus interluens. Sequitur Islandia Occidentalis.

ISLANDIÆ OCCIDENTALIS

SECTIO I.

Kalmannus.

ADmodum raros reperias, qui aliundè, quam ex Norvegiâ, sedes in Islandiâ (ut monitum) quæsierint; nec nisi tota ferè occupatâ, jam à Norvegis insulâ. Ex his fuit Kalmannus quidam natus ut creditur in Hebridibus, qui ante alios, Islandiæ Occidentalis incolas, ordine numeratur, non tempore, vel quia primus Occidentalis Islandiæ sit incola, sed quod prædium ab ipso extructum, montanis desertis adhærens, nempe Kalmans-tunga, termino Meridionalis Islandiæ, Iam descriptæ, sit proximum, atque idcirco, quia occidentem versus, describendo pergimus, ante alia attingendum. Quantum spectat prædii ruralis appellationem *Kalmons-tunga*, quasi Kalmanni Lingula (an ligula) inde est, ut supra attigimus; Aquæ sive amnes, aut rivi utrinque agrum aliquem, vel terræ spatium alluentes, & inferius confluentes; terræ vel agri portionem, in ipsum concursum, vel confluentem desinentem, paulatim mucronatam faciunt, linguæ instar. Diminutivum autem ejus sit lingula an ligula, scribendum & proferendum, sub judice lis est, vix à Martiale dirempta.

Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque;
Dicor ab indoctis lingula Grammaticis.

Sed instituto servientes pergemus. Moram aliquam fecerat hic Kalmannus, in sinu Islandiæ Meridional: *Hval fiórd.* [à balæna] quam suam Ligulam [sive tungam] prædii loco assumeret; in quo sinu, amnis nomen, ab ipso factum, vel aliis, *Kalmans-aa*, quod amnis nomen in præcedentibus occurrit. In dicto jam sinu, quum Kalmanni filii duo submergerentur, ipse fastidio loci, nullam ibi habitationem fundavit: sed vasto itinere boream versus Albi superato, prædium Kalmans-tunga exxit, in confluente Albis, & amnis fliots-aa situm. Filius Kalmanni vocatus Sturla, officio publico, Gode supra descripto. Ille in Sturlustad, locum primum obtinuit. Deinde patre demortuo, in Kalmans-tunga. Ipse vero Kalmannus cum concubinam invisens, trans Albim iter haberet, Albi suffocatus periit. Nec advenæ isti ex Hebridibus, alia memoratu digna, hic egisse leguntur.

SECTIO. 2. Roskillus à rosâ. Patre Thorsteno, matre Lopthænâ natus, avo quoque paterno Brandero Neffiu, Norvegico magnate, & avo materno Arinberno, Barone Norvegiæ in fiórdum; conjunx Iorida. Appulit Roskillus, in sinu Meridionalis Islandiæ *Grundar-fiórd*, statuitque residere in *Akranese*; sed accolis illius promontorii id minus ferentibus, superato Albi, substitit in *Hvitaarsidu*, ideoque in Islandia Occident: filium habuit Hallkillum, in Hallkelstad. Thorvardo autem & Thorgauto, amicis & necessariis suis, prædia designavit; illi in *Thorvarstad*, huic in *Thorgaut-stad.* Duxerat Hallkillus Thorridam Dyllu; qui Thorarinum, Finnvardum, Tinderum, Illhugonem quoque fuscum; & filiam Grimam progenuerunt. Hæc Thorgiselli Aresonii, nominatissimi viri uxor fuit.

SECTIO. 3. Asbernus opulentus, Hotderi filius, agrum emit à *Korn-aa*, usque *Sleggiu-læk*, habitans prædium *Asbiarna-stad*, Filiam *Midfiardar* Skeggia, accepit uxorem; quorum filia Ingeborga, Illhugonis Fusci conjunx.

SECTIO. 4. Ornulfus. Occupavit *Ornufs-dal* & *Kiarradal*. Vendidit autem Chetillo Blund, supra nominato, loca, valli *Ornulfs-dal*, vicina; Ipse ulterius in vallem *Kiarradal* concessit, habens prædium *Ornulfs-stad*, ibidem inter *Kiarraa* & *Thver-aa* positum. Blund Chetillus ille opibus crevit; atque auctus, seseque subinde

inde dilatans, exciso passim nemore, prædia ædificavit rustica, more reliquorum, suo tempore.

SECTIO. 5. Hromundus. Hognerus, Helgo. Frater Grimi Halogiensis (supra) fuit hic Hromundus, in ostio Albis appellens; occupavit *Thveraarhliid* & *Thveraardal.* prædium ipsi *Hromundar-stad:* hodie *Karls-Brecka.* Filius Gunlaugus *Orms-tunga.* [Anguilinguis] coluit Gun-laugstad. Vide Crymogæam lib. 2. in genealog. Hognerus sociorum Hromundi quidam, habitavit *Hógna Stad*; Ejusque filius Helgo, prædium *Helgavvatn* possedit.

SECTIO. 6. Isleifus, Israudus, à glacie utrumque Prædia adepti, de suo, nomina illis, more vulgato, imposuerunt. *Isleifs-stad* ac *Rauds stad*, supra rivum *Sleggui-læk.* Sleggia vernaculum, malleum majorem, cujuscunque materiæ; Est etiam fœminæ proprium. Israudi filius Liotus fuit de Weggium.

SECTIO. 7. Asgeirus. Etiam hic sociorum Hromundi unus, nactus prædium Hvammar, supra stagnum *Helga-vvatn*, uxor Hilldur, cognomine Stella, Filii *Sueinbiórn*, cognomine *Sterke,* [robustus] & *Storhoggve*, magna verbera infligens, *Hógg* est verber. item alii præterea filii, Thorvardus Thorstenus, Helgo, quorum ultimo natus Thorderus Skálld Helgonis pater; qui ipse tandem, Gronlandiæ factus incola, & locupleti auctus matrimonio, in decrepitam ibidem vixit senectutem. Ipsius hospitio (ut primario) Islandi Gronlandiam invisentes, & annua commercia habentes, multum usi sunt; Gronlandicarum rerum certam notitiam haurientes.

SECTIO. 8. Arnbiórga fœmina. Occupavit *Arnbiargar-breckū* [clivum *Breckā* sonat] ejusdem vero filius Elldgrimus, collem supra matris illud prædium. Filius item alter Thorgesterus, à quodam Hranero, singulari victus certamine, ad montem *Raffna-fell*, cæsus est.

SECTIO. 9. Thorunna, & hæc fœmina. Occupavit Thorunnar-Hollt, ad rivum usque *VVide-læk.* & sursum è regione Thorridæ sororis suæ; cujus habitatio *Gróff*; cognomine *Spákona.* i.e. fatidica. Ab ista Thorunnâ nomen accepit, vicini amnis gurges, quodam in loco profundior. Amnis Thveraa vocatur. Ab hac Thorunnâ Hammeringorum familia descendit.

SECTIO. 10. Thorbernus Arnberni F. Occupavit interamnium *Staffhollts tungur*, quod constituunt *Nordur-aa* & *Thver-aa*,

prædium ipsi *Arnarhollt*, & filio Tito, *Staffhollt*.

SECTIO. 11. Thorbernus Blesferus. Occupavit vallem *Norduraardal*, cis amnem *Norduraa* item *Hellis-dal*, prædium *Blesastad*; filius Gislaus accepit prædium Melense, ibidem situm. Ab hoc appellata sunt stagna *Gisla-vvótn*. Filius alter prædium habuit *Thorfinnstad*, à proprio suo nomine Thorfinno, cum posteris.

SECTIO. 12. Geirmundus Blesferus filius Gundberni *Gands*, occupavit agrum, quem amnes *Norduraa* & *San-daa*, utrinque alluunt, prædium tunga. Huic filius Brunerus, paterni de Steinum prædii hæres, qui in conflictâ *Heidar-vvich* occubuit.

SECTIO. 13. Orno Grandævus. Occupavit *Sand-dal* [ab arena] & *Miofva-dal*, [ab angustia] & *Norduraar-dal*; infra *Krok*; usque *Arnarbæle*, à nomine scilicet suo proprio. Habuit præterea *Harek-stadt*.

SECTIO. 14. Sauda-Biorn, ab ovibus. Occupavit *Biarnadal*, & hinc distinctas valles; prædia duo præcipua.

SECTIO. 15. Karlerus. Vallem *Karls-dal* occupavit, supra stagnum *Hredu-vvatn*. prædium *Karls-fell*, cum agro usque ad *Iaffnaskard* extenso.

SECTIO. 16. Griserus & Grimus Skallagrimi supra dicti, liberti duo, quibus ille habitationes magis montanas addixit, Grisero nempe *Chrisar-tungur*; Grimo autem vallem *Grims-dal*.

SECTIO. 17. Besso *Godlós*, atheus. Filius Balkonis in *Rutafiórd* degentis Island: Borealis, occupavit vallem Langa *vvatns-dal*. Hujus filia Geirborga, nupsit Thorgeiro de Tungufelle; quibus natus est Wælefus annosus: Bessoni uxor contigit Thordiisa, Thorfinni de *Hiitaar-dal* filia, quæ dotis loco possedit *Hólm-lónd*; iis natus est Arngeirus, pater Biornonis *Hiit-dala Kappa*. i. e. Hiitdalensium pugilis.

SECTIO. 18. Sigmundus etiam hic libertorum Skallagrimi unus fuit, cui herus possessionem dedit, inter *Gliuffur-aa*, & *Nordur-aa*; habuitque prædium in Haugum, dum se in Midnes transferret, à quo stagnum ibidem, *Sigmundar-vvatn*.

SECTIO. 19. Rudbiórno locum habuit inter *Gliuffur-aa*, & *Guffaa*, prædium *Raudbiarnar-stád*. Filii Thorkillus *treffill*, Helgo de *Hvamme*, & Gudmundus. Reliquam prosapiam videris in Manuscr.

SECTIO. 20. Thorbernus *Kramur*. Thorderus *Beigallde* FFr? Iis locum concessit Skallagrimus, trans amnem *Guffaa* prædium Thor-

Thorberni in Holum, Beigalldi vero in Beigalda prædio.

SECTIO. 21. Thorerus *Puß:* Thorgeirus *Iardlangus:* Thorberga Staungs; cognomina arguunt, hos omnes corporis staturâ, quiddam giganteum repræsentasse. A Skallagrimo suscepti, habitationes à suo nomine adepti sunt, ad amnem Langaa: Thorerus quidam *Thorerstad.* Iardlangus *Iardlangstad.* Staung. *Stangar-hollt.*

SECTIO. 22. Anerus, à mœsticia & labore. Huic Skallagrimus proprium fecit fundum *Anabreckur*, situm ad amnem Langaa, Aneri filius *Onundur liom*, i.e. splendor à venustate formæ; pater is fuit Steinari & Dallæ, matris Kormakeri, de Melstad Midfiórdensium. Ipse vero Steinarus, nomen forsan dederat, tugurio subrustico. Melstadii, ante habitato, hobis Steinstad quam ipsa habitatio Melstadium transferretur.

SECTIO. 23. Thorfinnus. *Strange* [*den Strenge*] Cognomen *Strange*, vel generosus, indicat non fuisse hominem plebeium, hunc Thorfinnum. Fuit autem vexillarius Thorulfi fratris Skallagrimi, quem Thorulfum Comatus ex insidiis, nocturno prælio, incautum peremit; ut supra. Hero aut superstes, & nocturnâ caligine, cœso jam hero, salvatus, ac interim Comati prolixiores insidias,& injurias devitaturus, Skallagrimi iter Islandicum secutus est; ac ducta in uxorem ejusdem filiâ, cum possessâ terrâ, ab amne *Langaa*, usque *Leinuvog*, soceri amicitiam constanter coluit; cujus filia Thordiisa mater extitit Biórnonis *Hiit-dala Kappa.* ut supra.

SECTIO. 24. Inguarus Lambo. Inguarus filiam Beram, Skallagrimo uxorem dederat; qui post Skallagrimum sedes quærens, in Islandiam pervenit; cui idcirco, agrum concessit, gener Skallagrimus, possidendum; inde à rivo *Leyru-lak*, usque *Strómfiórd*, prædium *Aalftanes.* i.e. Cycnorum Isthmus. Sed & altera Inguari filia, nupserat Lamboni de Lambastad, quorum filius Thorderus Lambonis robusti pater.

SECTIO. 25. Steinulfus. Permissu Skallagrimi occupavit utramque *Hróndal*, usque *Griótaa* filius Thorfinnus, à quo Róndalensium familia orta est.

SECTIO. 26. Thorhaddus, al: Thoroddus. Stenonis *Mióg-siglanda* filius. Avus fuit Thorhaddo Wiigbioderus Abavus *Bódmódur*; occupavit hic vallem *Hiitárdal*, usque *Griotaa* contra meridiem; boream autem versus usque *Kaldaa*; cujus posteros, cum eorundem prædiis Manuscr. insinuat.

SECTIO.

SECTIO. 27. Thorgisellus Knappe, velox. A suo dictam nomine vallem *Knappadal* occupavit; cujus filii Inghaldus & Thorerinus agrum sibi vendicarunt, amnibus *Hitaraa* & *Alfftaa* determinatum. Isti Knapponis filii, quomodo affinitatibus & agris creverint Manuscr. deprædicat.

SECTIO. 28. Grimus cum filio Sælthorero, ex Magnatibus Norvegiæ non ultimus, Grimus *Ingaldi*. F. hic occurrit; nam ex plebeis paucos reperias, quos Comati vis, jam tyrannidem exercentis, & rerum potiti, patriâ extruserit. Habet quidem vetus Adagium, *Optima cibus invidiæ*, quod ipsum, etsi in suo foro, sit verissimum; tamen demptâ unicâ literâ t. huic quadrabit negotio, si dicatur; Opima cibum esse invidiæ; cui si accedat tyrannis, nullus erit malorum modus ac meta. Sed ad Grimerum. Is in Islandiâ sedes quæsiturus, ac latus insulæ boreale prætervectus, ostium sinus Occidentalis Islandiæ, *Steingrims-fiórd*, sibi patens habuit; in quo insulam perexiguam, menses aliquot occupans; & sui nominis voculam imposuit; eâdem *Gryms-ey* appellatâ, ubi paulo post (ne singula ad unguem) piscatu periit. Ita hic vir, sui Regis clementiâ (an contra) ad incitas redactus, ex Optimate Norvegiæ, factus est piscator Islandiæ, quæ res vita ipsi constitit. Sed relicta vidua, patriâ exul, viro morte orba repentinâ, cum filio impubere, Sælthorero, annum proximum exegerunt, in Occidentali isthmo *Skalmar-nes*, ab ipsis indito nomine. Anno tertio vastum ingressi iter, superatis tesquis *Ródamels-heide*, locum habitandi commodiorem adepti sunt, posito in *Ródamel* exteriore prædio, inter amnes *Gnupaa* & *Kalldaa*, infra vallem *Knappa-dal*. Selthórerus magni in hac natione Nominis, reliquit filium Thorfinnum, qui uxorem duxit Ioridiam, Tungoddonis filiam; quorum conjugum prosapiam suggerit Manuscr.

SECTIO. 29. Thorderus & Thormodus FFr. Habitationes possederunt, inter *Gnúps-aa* & *Strómfiórd* vendicavitque sibi Thorderus, vallem *Gnups-dal*; cujus liberi Skapterus, pater *Hiórleiffs Goda*. Filia nupta Reffvero cognomine Magno. Horum filia Steinunia, mater Reffveri cognom: *Hoffgarda-Keffur*, quasi, vulpem aulicam dicas. Thormodus porro ille, Thorderi frater, consedit in *Raud-Kollstad*; unde verisimile est Raudkolli cognomen gessisse, qui etiam ab officio, *Gode* vocatus est. Duxitque uxorem Geirridam Kiarlaki annosi F. quibus Gunnlogus, Opulentus cognomine, natus est. prosapia reliqua in Manuscr.

SECTIO.

SECTIO. Gunnlogus opulentus, modo dictus, locum occupavit inde à *Strómfiardaraa*, usque Furu, prædium *Borgarhollt*. Ab hoc Stromfiórdensium familia; in quâ tandem continetur, Thorderus Sturlæ F. de *Hvamme*, inter Nomophylaces Islandiæ numeratus. Crymog.

SECT. 31. Valo cognomine Robustus, cum filiis reus homicidii, aula Comati exul factus, vixit in Hebridibus, cujus filii, Islandicam gentem, suis prosapiis, locupletarunt. Atlerus scilicet Audunus, Vlfarus; unde hi sectionis titulum rectius constituerent. Asmundus cum patre Atlero, occupârunt à Furu, usque Lysu. Asmundi fundus erat *Lánghollt*; mortuus in *Oxl*, sepelitur cum adjuncto sibi servo, naviculæ, sarcophagi vice, impositus, sub busto, *Asmundar-leide*. Reliquos filios Walonis cum suis prædiis habet Manuscr.

SECTIO. 32. Rolfo *hinn digre*, i.e. corpulentus. Patre Eyvindo *Eikropp*. quasi querno corpore, natus, occupavit à *Lúsu*, ad usque *Hrónfiardaraa*. Filius Helgo habitabat in *Hóff-gaurdum*, prosapia est in Manuscr.

SECTIO. 33. Solverus Occup. ab *Hellir*, usque *Hrón-hóffn*. prædium *Brenningur*. postea *Sólva-hamar*.

SECT. 34. Sigmundus Ipsius pater Chetillus *Tistill*, nomen fecit sinui Islandiæ Orient: *Tistils-fiórdur*. Huc vero ubi ventum est, habitavit filius Chetilli hic Sigmundus, inter *Hellis-hrón*, & *Bervviichs-hron*, prædium *Laugbrecka*; ubi & ipsius bustum visitur *Sigmundar-leide*. Ille prædium Loon vendidit cuidam Einaro; inde dicto *Loons-Einar*. Sigmundi porro filius, procedente jam tempore, Loons-Einarum occidit, quod matrem Hilldegundam, veneficii insimulasset, & ream egisset. Ob quam offensam, Einarus Sigmundi, Loons-Einarum sex famulis stipatum, solus prostravit, & interemit, ut dictum jam erat; nisi quod comitum duo, fugâ sibi consulentes, ab interveniente Hreidaro, Einari Sigmundi, servo non instrenuo, in litore *Thræls-vviich*; ubi fugientes deprehendit, cæsi sunt; à quâ servorum nece, adhuc litoris appellatio durat. Quem Hreidarum herus, præmii loco, manumissum, tanto agri domestici spacio donavit, quantum triduo, aggere cingere, solus posset: Nomen postea agello, per triduum septo, *Hreidars-Geerde*. ubi Hreidarus deinceps habitavit. Vt autem quia sepimentorum incidit mentio, hoc obiter injiciam. Iustæ sepis, veteri & novo jure, illam

E habemus

habemus præſcriptionem, ut baſis in latitudine, quinque pedes æquet, ſupernè trium etiam pedum craſſitie præſtet. Non humilior, quam viri juſtæ ſtaturæ, (videlicet cubitos tres, cum dimidio, proceritate ſuâ adæquantis) humerum contingat, &c. Vnde jam circumferentiâ cognitâ (quæ adhuc me latet) facile foret triduanum Hreidari laborem æſtimare, quo certe operarii noſtri, qui ſervi audire recuſant, merito forte erubeſcerent. Sed hoc aproſdionyſon videbitur. Dictus Einarus, à fundo paterno, hæreditate accepto *Laugar-brecku-Einar*, vocari cæpit. Cujus in Manuſcr. proſapia.

SECTIO. 35. Grimkillus Frater Guñbernonis, à quo inſula perquam exigua, in proſpectu Iſlandiæ boream verſus, ſemper, quod ſciam, deſerta, *Gunnbiarnar Skeer* vocata eſt. Occupavit *Beruvviichs-hrón*, uſque *Neſs-hrón*, prædium *Saxa hvoll.* Hujus prolixam familiam vide in Manuſcr. etiam ultra atnepotes extenſam, cum prædiis & habitationibus eorundem.

SECTIO. 36. Vlfarus Valonis robuſti filius. Occupavit litus à BereWiich uſque Enne; filii Hauskulldus de *Hósk-ullds-am*, Inghalldus de *Inghallds-hvole*: Gotus de *Gota-lak:* Hamkillus de *Foſſe*, ad amnem *Holmkels-aa.*

SECTIO. 37. Olaus *Belgur.* i.e. uter. Occupavit ab *Enne*, uſque *Frodaa*, habitans *Olaffs-vviich.*

SECTIO. 38. Grimus *Hinn Mióſee.* i.e. gracilis. Appulit in *Fródaar-ós*, habitans in *Grims-vvóllum*, hodiè corrupte Brimnis-wóllum; idque ad tempus, dum Olaum *Belg* ſuâ ſede, nempe *Oláffs-vviich* ejiceret, ſinum antiquum [*vvik hina gómlu*] occupando; conſidens in fundo *Fródaa.* præſapia in Manuſcr.

SECTIO. 39. Herjulfus, Filius Sigmundi *Sniin-hóffda*, Magnatis Norvegiæ, litus ab *Hóffda*, vel *Bvvlands-hóffda* occupavit, ad ſinum uſque *Kyrkiu-fiórd.* Ille jam tantum octennis, urſum, qui è grege caprarum, unam forte diſcerpſerat, ſtraviſſe perhibetur; ac jam duodecennis, indignam patris cædem ultus eſſe; multaque alia facinora patraſſe; & fortitudinis documenta reliquiſſe poſteris. In hujus proſapia memorantur Thorarinus *Svarte* de *Mava-hliid.* & Ormerus *Hinn Orve.* i.e. liberalis vel munificus (nam & hæc virtus decet Magnates, & iis proſatos, dum in profuſionem non degeneret) vide Manuſcr.

SECTIO. 40. Veſtarus. Natus patre Thorulfo *Blódru-skalla.* [à bullâ & calvitio] cumque eodem decrepito, in Iſlandiam advectus

vectus Occidentalem; occupavit Fundum. *Ondverda-Eyre*, ubi & ambo sepulti sunt, in Isthmo domestico Skallanes, quorum in Manuscr. familiæ prolixè continuantur. Vestari autem filius nominatiss. Asgerus, vir in primis, integerrimus & strenuus, in prædio Eyre, patri successit. Vide *Eyr-byggiu*.

SECTIO. 41. Kolerus. Litus Orientale, sinus à suo nomine, *Kolgraffa-fiórd*, occupavit; prædium habens *Kol-graffer*, ad collem usque *Trolla-háls* extenso termino. Item prædium *Berserks Eyre*, ad sinum *Hróns-fiórd*. Filii Kolero fuerunt, Kolgrimus & Thorgrimus; habueruntque cum patre commune domicilium, ad tempus, jam dictum, *Kolgraffer*; à quibus mons *Kol-sonafell*, nomen accepit. Hinc Kolgreslingorum familia, cum habitatis fundis in Manuscr.

SECTIO. 42. Audunus Valonis robusti filius Occupavit Orientale litus, sinus *Hrons-fiórd*, supra amnem *Hrónnaa*, inter stagnum *Sviina-vvatn*, & collem *Trolla-háls*, prædium ipsi cum sinu *Hróns-fiórd* ejusdem nominis, cujus posteri, cum suis habitationibus enumerantur in Manuscr.

SECT. 43. *Biórno hinn Ostrane.* Id est, Norvegus, vel ex Norvegià; Quamvis illud annotasse, supervacaneum erat, nostrati chorographo; quum omnes hujus insulæ coloni, ex Norvegiâ fuerint; vix uno aut altero exceptis, ut supra. Neque interim notatum reperio, quâ occasione hunc Biórnonem, præ cæteris Norvegum, appellaverit vulgus Nostratium. Patrem habuit Chetillum Simum. Vide Sect: 11. Island. Merid: qui cum Hebridibus (Suderó, Orcadibus vicinæ) diu præfuerit; nomine Comati (quâ præfecturâ, quid Comatus quæsiverit superius indicatum) & ibidem filiorum quidam, ac in his forsan, noster hic Biórno, nati sint; idcirco voluerint Nostrates, hôc cognomine, genus & ortum ipsius asserere; quod scilicet esset natione, non Hebridensis neque Orcadensis; sed ingenuo sanguine Norvegorum oriundus. Occupavit noster Biórno, loca ad sinum *Hróns-fiórd*, usque ad amnem *Staffaa*, prædium *Biarnar hóffn* [Biórnonis portus] Sepultus est juxta rivum *Biarnar-lak.* filii Kiarlacus annosus, patri in prædio domestico, succedens, item Ottarus, cui nepos Wiigfuserus de *Drápu-hlid*. Reliqua prosapia in Manuscr.

SECT. 44. Thorulfus. *Mostrar-Skegg*. Ab insulâ Norvegiæ Mostur (ubi habitabat) & barba insigniore, ita cognominatus:

 perdi-

perditissimus ille idololatra, qui nec humanis victimis abstinuit; sedibus & possessionibus, quas in Norvegici litoris insulâ, Mostur, habuerat, à Comato Rege ejectus, in Islandiam devenit Occidentalem, quam modo describimus. Litus autem legens Meridionale, allatos secum, quos atlantes atrienses domuum, vocamus, sive ædium, quas in insulâ Mostur, habuerat, *Idoli Thor*, quem præcipuè colebat, ectypum, habentes, pro superstitione sui sæculi, undis credidit, hac fiduciâ, ut quo in litore appellerent, ibidem, ductu Numinis, fatalem sibi destinatum habitandi locum agnosceret; ejectos autem reperit in sinus *Breida fiórd* Isthmo Thornes; quem sic à Thoro suo (cujus ipse etiam Thorulfus nomen gerebat) appellare visum est. Delubrum etiam illicò Numini suo ibidem sacravit; fecitque prædium *Hoff* (quomodo & ipsa delubra vocata sunt, ut etiam alibi notatur) satis magnificum; unde portum vicinum, ubi appulerat *Hoffs-vvog*, vocari jussit. Raræ adhuc erant ad dictum sinum habitationes; unde Thorulfus, tractum satis vastum occuparet, inde à *Staffaa*, usque *Thors-aa*. Situs est in hoc isthmo Thornes, monticulus humilior, *Helga-fell*. i.e. mons sacer, Thorulfo dictus, ipsi autem & suis longe habitus sacerrimus; ubi etiam defunctorum suorum, fore receptaculum credebant miseri Ethnici. Dictus Thorulfus, viciniæ facile princeps, foro judiciali locum deputavit, in Isthmo jam occupato, cui loco *Thornes thing* fuit appellatio, vide Crymog: lib. I. Hinc Thornesingorum familia, in quâ continentur Thorstenus Thorsk-firdingorum toparcha: & Thorstenus *Thorska-bytur*. i. e. ictiophagus; cujus filius Thorgrimus pater erat Snorronis *Goda*, viri non inconsulti, & magnæ autoritatis, in suâ hac Natione; qui Snorro Gode prædium habuit, sub monticulo *Helga-fell*, ejusdem cum monticulo nominis. Progenuit ille Snorro Gode [sive Toparchiæ Thornes-þing suo tempore, præfectus] filium Heliodorum, Haraldi Siguardini, celebris Norvegiæ Regis aulicum, & fidum in bellis exoticis Achatem; Quamvis quoddam Chronicon, istum sive Halldorum sive Heliodorum filium faciat, non Snorronis, sed cujusdam Ofergeri, non satis historicis Antiquitatibus expensis. vid. hist: *Eyrbyggiа*.

SECT. 45. Geirraudus cum sociis. Ex Norvegiâ, ut reliqui, in Islandiam, delati; sociis, inquam, Finngeiro & Vlfaro Kappa; occupavit sibique vendicavit, interstitium amnium *Thors-aa* & *Laugardals-aa*. Vlfaro circa montem *Vlfars-fell*, habitationem addixit. Finngei-

Finngeiro in finu *Alftha-fiórd*, dedit prædium *Káraftad.* Ipſe in prædio *Eyre* Geirraudus conſedit; ejuſdemque prædii eponymus factus eſt; ut *Geirraudar-Eyre* vocetur: Habuit ſororem germanam Geirriidam, nuptam Biórnoni Bólverkſonio, cognomine: *Blindingatrana*: Hos in *Borgar-dal* frater habitare juſſit. Geirriida filium Thorulfum, juventam in exteris exercere voluit; qui reverſus Vlfarum de *Vlfars-fell* monomachiâ confecit; & poſſeſſiones ipſius, conſuetudine receptâ, ſibi propriasreddidit. Sed pedem graviter vulneratus, perpetuo claudicabat: unde Thorulfus *Bæge-fotur*, cognomen lucratus eſt. Mater Geirrida à ſingulari liberalitate, & hoſpitalitate prædicari meruit. vide *Eyrbigg*. Horum autem omnium numeroſam familiam cum occupatis ſedibus, curioſè Manuſcr. commemorat.

SECT. 46. Thorbergus. Occupavit utramque vallem *Langadal.* poſteri in Manuſcr. In quibus Illugo, Nomine, unde Langdalenſium familia.

SECT. 47. *Steno miög-ſiglande* quaſi multum navigans. Occupavit totum tractum *Skóga-Strónd*, prædium *Breyda-bolſtad*, ſonat latifundium; in cujus familia Steno, Iſlandiæ olim Nomophylacias munere functus, claruit.

SECT. 48. Thorvaldus, Aſvaldi fil: cum filio Erico. Ericus Ruffus cum patre Thorvaldo, relictâ Norvegiæ provinciâ *Iadar*, in Iſlandia Occidentali, occupavit primum *Horn-ſtrander*; habitaveruntque in prædio Dróngum; unde Ericus poſt mortem parentis ſeceſſit, in *Hauka-dal*, [ab accipitribus dictam vallem] prædium ipſi *Erikstad*, non procul à *VVatz-horn*, prædio, hoc nomine, alio. Hic ille eſt Eirekus Ruffus (*hinn Raude*) Gronlandiæ inventor, & primus incola, circa annum Chriſti 982. id quod hoc loco pluribus attingere, operæ precium non eſt. Attingetur autem parte hujus ſpeciminis 11.

SECT. 49. Ingulfus robuſtus occupavit totum agrum, infra *Laxaa* & *Skraum hlaups-aa*, prædium ipſi Holms-latur.

SECT. 50. Auduna cognomine *Diup-audga*. i.e. prædives. Principibus viris in Oplandiâ Norvegiæ provinciâ ortus Olaus vel Oleifus candidus (*hinn hviite*) ex conjuge ſuâ iſtâ Audunâ, Chetilli Simi ſæpius nominati filiâ, ſuccepit filium Thorſtenum Ruffum; qui deinde uxorem ſumpſit Thorridam, Eyvindo Oſtmanno natam, Helgonis macilenti ſororem; quorum proſapia in Manuſcr. prolixa eſt,

nec Islandos magnopere spectat. Ista Auduna marito supervixerat, & jam vidua, Patrem Hebridum præfecturam suscipientem, voluntate Comati, ex Norvegiâ secuta fuerat; cum filio Thorsteno. Parente autem ut filio, vivorum numero sublatis, vidua solitariâ, à Scotorum insidiis sibi metuens, in Islandiam navigationem direxit: adducendo secum, præter servitia, 20. viros liberos, sui sanguinis; appulitque in sinu Islandiæ Occidentalis *Hvams-fiórd*, ad isthmum *Kambs-nes*, quem sic à pectine, capillis ornandis invento, indigetavit; quod videlicet, pectinem, in *Kambs-nes*, incuriâ reliquerit; Prædium, *Hvammur*, ad hunc sinum, non magno intervallo, jubente Dominâ, à Comitibus illico constituitur, totamque viciniam sibi vendicatam, inde à *Dogurdar-aa* ad amnem nuper dictum. *Skraúmhlaups-aa*, suis ad habitandum Auduna, tanti Soda-
1 litii, hera, distribuit atque descripsit. Chetillo quidem, ab amne
2 3 *Dógurdax-aa*, usque *Hórdu dale-aa* prædium Chetistad. Hórdero,
4 vallem *Hórdudal*; prædium *Hórduból*. Wifillo *VVifils-dal*, ex quo
5 tres Episcopi Islandiæ postea descenderunt. Hundoni attribuit
6 *Hunda-dal?* Sóckulfo, *Sóckulffs-dal*. Erpero *Sóda-fells Tónd* sunt assignata; unde familia Erplingorum prognata est, quam ut & reliquorum Manuscr. suppeditat.

Sect. 51. Thorbernus cum genero Hóskulldo. Prædium illi *vvatn*. i.e. stagnum valle situm *Haúka-dal*, cujus filia Hallfrida, conjunx extitit Hóskulldo Dalakollero, celebri & primario, in totâ illâ viciniâ viro. Ji occuparunt inde ab *Hókadals-aa*, usque ad *Laxaa*, amnem videlicet per vallem *Laxár-dal*, in mare delatum. Horum filius Thorleicus, Nepos Bollerus; Gutrunæ Osvifs filiæ viduæ, factus maritus.

Sect. 52. Ruterus Herjulfi F. Dala Kolleri frater uterinus, ac Audunæ prædivitis pronepos, sicque nobiliss. Norvegorum stemmate satus prædium obtinuit *Rutstad* & *Kambs-nes*. Infinitæ hic occurrunt genealogiæ, quibus pertexendis, nec otium impendere, nec Lectoris patientiâ abuti libet.

Sect. 53. Kiarlacus. Huic pater fuit Biorno robustus, ager ipsi occupatus à *Dógurdar-aa*, usque Klóffninga, prædium *Kiarlakstad*. Filii Helgo, cognom. *Hrogne*, & Thorgrimus *Thóngull*. Hujus prædium *Fell*. vel *Medal-fell*; & præterea sex filii. Asa filia in *Svíiney*. Liotulfus Kirialaci libertus, ab Hero *Liótulfstad* meruit.

Sect. 54. Germundus *Heliar-skinn*. A furvo cutis colore, Regulo-

Regulorum *(Fylckis konga)* Norveg: ſanguine ortus; quum pattrem haberet ſibi minus faventem, patriæ valedicens, ſinum Iſlandiæ Occidentalis, ingreſſus *Breida-fiórd*, ſubſtitit in *Ellida-ey*, & mox continentem amplexus, occupavit oram maritimam, *Medalfells ſtrónd.* inde à rivo *Fabeins-aa*, uſque *Kloſſa-ſteina.* Portus ab ipſo *Geirmundar vvogur* denominatus eſt. Hibernavit in *Bvvdar-dal*, prædio deinde in *Geirmundar-ſtad* fundato. Is præter ſervitia, homines liberos 80, non tantum ſecum advexit, ſed totidem perpetuo ſtipatus, quoquo verſus iter faciebat, ditionem Norvegiæ Rogaland poſſederat: ſed inde (præter quam quod patrem difficilem expertus ſit) Comati violentiâ deturbatus, aliqualis etiam magnificentiæ ſimulachrum, in Iſlandiâ effinxit. Ideoque omnium Iſlandorum maximè ab opulentiâ prædicatur. Adjecit enim ad loca prius occupata, litoris & montanorum tractum, ſatis vaſtum, *Hornſtrander*, inde à promōtorio *Ritagnup*, uſque *Horn* & *Strómnes*: ubi & villas opulentiores quatuor habuit. 1. in *Adal-vviik.* 2. alteram in *Kransvviik.* 3. in Almenningum. 4. in *Bards-vviik.* addunt & quintam nonnulli in *Selaar-dal.* Quibus ſingulis, in Manuſcr. nomine notatos, villicos præfecit, ut ſingulæ quoque villæ. 12. ſervos, præter reliquum famulitium alerent. Geirmundi etiam pecorum greges, diſtinctim & ſub dio paſcebantur; Suum grex in Iſthmo quodam ſinus *Steingrims-fiórd*, *Sviina-nes*, inde dicto. Grex ovium in *Hiardarnes.* Magalia ſita erant in ſinu *Bitru-fiórd.* Hæc & ſimilia, licet ſui faſtidium gignant, tamen propter locorum proprias appellationes, non omiſi, & quod aliquid privatæ hiſtoriæ, intercurrat. Hic Geirmundus, quanquam re & opulentiâ aliis præcelleret (quod alias faſtum ac inordinatos affectus ſolet gignere) de animi tamen moderatione nihil remiſit. Vixit pacatiſſimus, à litibus & diſſidiis alienus. Semel quidem in totâ vitâ (quod annotatum ſit) cum Kirialaco nuper memorato, infenſis animis contendit, de agrorum terminis: quæ lis Magnatum, etiam remotiorum interventu, ſopita eſt. & Kiarlacus cauſâ cecidit. Ad eam vero dirimendam rixam, cum Veſtarus de Eyre (ſupra) iter mari faceret, Iſthmum, ubi tum applicuerat *Veſtar-nes* appellitabat. Geirmundus vero hic fuſcus (an furvus) in multam provectus ſenectutem, ſepultus jacet, in ſylvâ, prædio domeſtico vicinâ, urnæ loco, naviculæ impoſitus. Sed virtutes ſuas, ultimo vitæ actu obfuſcans, nam quicquid corraſerat æris, profundiſſ. puteo, *Andar-kelldu* [ab anatibus] nunquam emerſu-

emersutum demersit, non secus ac ille *Chetilbiórno.* Sect. 39. Isl: Meridion. suum Thesaurum altissime defossum, nullo indice admisso, omnibus inviderat; quod & plures veterum, magni & celebris, alioqui nominis, factitasse legimus, quo autem animo aut intentione, non est hujus loci. Geirmundi posteros, ut & majores ejusdem, disertè recitat Manuscr.

SECT. 55. Thranderus *Mióbeinn* à crurum gracilitate, ex Geirmundi necessariis unus, oriundus de *Ogdum*, Norvegiæ provinciâ; Insulas minutissimas, sinu *Breida-fiórd* inclusas occupavit, prædium habens *Flatey.* Cujus filius Thorgisellus, obtinuit *Thorgils-ey.*

SECT. 56. Oddus *Skraute*, ab ornatu, cum filio Thorero occupavit *Thorska-fiórd*, ille quidem habens prædium *Skóga*, hic *Thórer-stad.*

SECT. 57. Stenulfus *Hinn-lágie.* A staturâ pusillâ, Rolfonis Agdensis, in Norvegiâ filius, occupavit infra *Kloffa-steina*, usque *Griótaar-múla.* Prædium *Stenulffs-bialle*; in valle *Fagra-dal* [ab amænitate] viciniam undique nemore consitam, expertus est; sibique prædium extruxit, *Saur-bæ*, quod nomen postea, plures habitationes rusticas cæpit complecti; ipsum vero illud prædium, *Torffunes*, dici, Hic Stenulfus, præterea occupavit, vallem *Steinúlffsdal*, in sinu *Króks-fiórd.* Ipsius autem posteri in Manuscr. longâ numerantur serie.

SECT. 58. *Sleitubiórno*, à tergiversando habuit conjugem Thorridam, prædicti Stenulfi filiam, qui de soceri voluntate, occupavit occidentaliorem partem tractus Saurbæ; prædium *Sleitubiarnarstad*, supra *Thver fell.* Ejus filius Thiódricus prædium fundavit in *Stadar-hóle*, quæ cum mansio videretur angustior, concessit in *Isafiórd*; à cujus nomine, rupes insignis, in tesquis *Kollafiardar-heide*, denominata est. Inter posteros ipsius famosus fuit *VViiga-Sturla.*

SECT. 59. *Gils* vel Gislaus *Skeidarneff*, à rostro navis, occupavit sinum *Gils-fiórd*, inter *Olaffs-dal* & *Kroks-fiardar-mula*, prædium *Kleiffar*; filium habuit Hedinum, Nepotem Halldorum, Pronepotem Thorvalldum de *Garps-dal.*

SECT. 60. Thorarinus *Krókur.* i.e. uncus. Occupavit *Kroksfiórd*, à promontorio *Kroks-fiardar-nes.* ad montem usque, ab hircis dictum *Haffurs fell.*

SECT. 61. Chetillus Jlbreide quasi pansa. Occupavit *Berufiórd.* [ab ursâ] prosapia in Manuscr.

SECT.

SECT. 62. Vlfo Skialge, Hognonis albi filius, occupavit Isthmum *Keykianes*, inter montem *Haffurs-fell*, & sinum *Thorska-fiórd*, exporrectum. Hinc Reykneslingorum familia, ut est in Manuscr.

SECT. 63. Hallstenus. Filius Thorulfi Mostur (supra) occupavit sinum *Thorska-fiórd*. prædium *Hallsteins-nes*. Is idolomaniâ, vel idololatriâ parente nihilo inferior; suo Thoro Deastro, sacrum celebravit, singulari devotione; ut materiam sibi suppeditaret, unde ædium atlantes fierent. Nec mora; ecce pinus ingens, 63. longa, lata 7. cubitos, undis in litus, ejecta cernitur, quæ Hallstenum voti satis compotem fecit. Nec soli Hallsteno, sed & toti viciniæ, telamones, portentosa hæc arbor subministrabat. Hallsteni uxor, *Aska* (cinerem notat) fuit nomine, quorum filius Thorstenus, præ cæteris, Calendarii bene gnarus, prædicatur. *Hann-sann Sumar-auka*: est in codice vernaculo.

SECT. 64. Thorbernus *loke Bódmodi* F. Occupavit *Diupa-fiórd*, profundum sinum, & isthmum. *Gróu-nes* usque *Guffa-fiórd*. Filio Thorsteno obtigit prædium *Thorstenis stad*, in eodem sinu, uxorem Thorridam ille nactus est, Rognvalldo, Barone de Mœre, Norvegiæ, oriundam, quorum in Manuscr. prosapia. Vendicavit sibi idem ille Thorstenus, sinus *Gaffu-fiórd* & *Kolla-fiórd*. ut & isthmum *Skala-nes*.

SECT. 65. Kollerus Hroaldi F. Occupavit sinum *Kolla-fiórd*, item *Quiiganda-fiórd*: & isthmum *Quiiganda-nes*, quæ loca, late occupavit; partim vendidit.

SECT. 66. Kniukerus, cognomine *Nesia-Kniukur* quod promontoria, & isthmos, à sinu *Quiiganda fiórd*, usque *Barda strónd*, occupasset; patrem habuit Thorulfum.

SECT. 67. Kialkerus, à maxillâ, quæ *Kialke*. Occupavit *Kialka-fiórd*, & *Hiardar-nes*, annuente scilicet Kniukone.

SECT. 68. Geirleifus Erici filius occupavit *Barda-strónd*, Litus videlicet à monte *Bard*, inter *vvatns-fiórd* & *Berghlida*. Horum omnium prosapia est in Manuscr. sed posteri Geirleifi, claudunt familiam Krákunefflingorum.

SECT. 69. Thormodus *Raude*, Thorberni F. Occupavit litus *Rauda-Sand*. Filii Thormodus & Thorbernus.

SECT. 70. Thorulfus Spane. Occupavit *Patrix-fiórd*, sinus istius nempe latus vel litus Occidentale. Item *VViikur*, à montis *Bard*, latere Occidentali, præter *Kollavviik*, quam habitationem antea

 tenuit

tenuit Kollerus, Orlygi, qui Patritii, nutritii sui Hebridensis, huic sinui appellationem fecerat, familiaris. Idem Thorulfus occupavit *Kieffla-vviik*, à montis *Bard* latere Meridionali: prædium *Hval-latur*. Filii Nesia-kniukerus (nuper dictus) & Ingulfus robustus.

SECT. 71. Talknerus & Thorbernus *Skvvma*. Filii duo Bódvari *Blódru-skalla*, (supra) ab inflatâ in bullam, (quæ *Bladra*) membrana aliqua, quâ ruptâ pueri crepitum edere solent; & à calvitio (quod *Skalle*) denominati viri; occuparunt Orientalem ripam sinus *Ratrix fiord*, & totum sinum *Ealkna-fiord*, usque *Kópa-nes*.

SECT. 72. Chetillus *Ilbreide*, filius Talkneri, Valles occupavit ibidem, magis mediterraneas, à *Kopa-nes* (nomen accepit à vitulis marinis hic isthmus) adusque *Dúffans-dal*, sed indidem recedens, occupavit *Beru-fiórd*, ab ursâ, non procul ab isthmo *Reykia-nes*, de quo supra.

SECT. 73. *Orn* Aquila Geirmundi Furvi consanguineus, vir sanè eximius, grassanti in Norvegiâ Comato cessit, ex Rogaland Norvegiæ Toparchiâ, in Islandiam Occidentalem, occupato sinu *Arnar-fiórd*. Consedit in Isthmo *Tialldanes* (ab aviculâ quadam marinâ *Tialldur* vocatâ) idque potissimum ideo, quia in ipsâ brumâ, & solstitio hyemali, radiis solaribus, montium cacumina non ,, destituentibus, delectaretur. *Par gieck ecke Sól aff fióllum, um* ,, *Skammdeige*. est in vernaculo, id est Illic. [scilicet in *Tialldanes*] non discessit Sol à montibus (vel non destituit Sol montes) in brumâ. Cujus rei experientiam, cum Annalium suffragio, (præter universalem, aliquot locorum insulæ situm) iis merito opponimus, qui noctem continuam, ullo tempore, nedum aliquot mensibus, Islandiæ affingunt. Quæ cum de Thule verè prædicari existimetur, videant Recentiores, quo veritatis fulcro Islandiam, Thulen faciant.

SECT. 74. Anerus *Raud-felld*. Filius Grimi *Lodinkinna* (fuit supra) de Raffnistu Norvegiæ, Aneri *Bog-sveigers* [ab arcum tendendo] fortissimi pugilis, & sagittarii eximii, apud Norvegos, nepos ex Helgâ filiâ, Lodinnero nupta, hic natus est Anerus, qui ut avi nomen gessit; ita cum nomine virtutem avitam, animositatem, indolemque generosam induit. Sed Haralldianæ nihilominus crudelitati cedere coactus, in dictum nuper sinum *Arnar-fiórd* pervenit, cui ille (nempe *Orn*) loca prius sibi occupata, divendens,

dens, in Islandiam Borealem, ad necessarios, ac imprimis ad Hamundum Furvum superius nominati Germundi Furvi germanum, sese contulit. Ast Raudfeldii prosapiam Manuscr. non omisit.

SECT. 75. Geirthiosus, VValthiosi fil. Sinus plures occupavit. *Foß-fiórd. Reykiar-fiórd. Trostrans-fiórd. Geirthioffs-fiórd*, in quorum ultimo fixit habitationem prosap. in Manuscr.

SECT. 76. Dyrus vel *Dyre*, Pretiosum sonat, vir eximius; tam de consilio Rógnwalldi Mœra Jalleri, quam quod sibi à Comati vi & vesaniâ metueret, Islandiam invisit: occupato sinu *Dyra-fiórd*. prædium *Hals* filius Raffnerus, cui prædium *Ketils-eyre*, forsan à lebete vel aheno. Prosapia in Manuscr.

SECT. 77. Ericus. Cum superiore, etiam desedit in sinu eodem *Dyra-fiórd*, occupando à *Slietta-nes* usque *Stapa*. prædium *Hals-ytre*, i. e. exterior, quum Dyrus *Háls Innra*, i. e. interiorem occupasset. *Háls* autem collem notat. Prosap. in Manuscr.

SECT. 78. Gunstenus VVægeiri F. Et frater VVæbiórnoní *Svvigna kappa*, ex Norvegiæ toparchiâ *Soghne* dictâ, cujus incolæ *Svighnar* vocati, unde hic famosus pugil [*Kappe* vernaculè] oriundus fuit. Occupavit Gunstenus *Haúka-dal*, vallem nempe, hoc nomine, ad sinum *Dyra-fiórd*. Conjugium & prosapia in Manuscr.

SECT. 79. Thorderus VViikingi fil. Occupavit loca inter *Thrúffu*, in *Hialla-nese*, & *Iardfalls-gil*, prædium ipsi *Alvidra*, quasi omni vento expositus locus; uxor Thorhillda Eyvindi Ostmanni filia, & Helgonis macri soror (Fit ipsius in his Chorographicis alibi mentio) iis natus est Thorkillus *Alvidru kappe* quasi pugil Alvidtensis, qui etiam Opulentus cognomine. Reliqua prosapia in Manuscr. In Islan. Boreal. infra.

SECT. 80. Inghalldus Brunonis F. Occupavit *Inghallds-sand*, inter *Hiallar-nes* & *Osæra*. posteri in Manuscr.

SECT. 81. Onundus VViikingi filius Thorderi de *Alvidru* frater. *VViikingur* autem quando appellativè sumitur, prædonem & violentum significat. Occupavit *Onundar-fiórd*. prædium *Eyre*.

SECT. 82. Hallvardus *Súgande*. Etiam hic, cum Comato, in sinu Norvegiæ, sæpius memorato, *Haffurs-fiórd*, armis restitisset, metu potentioris, Islandiam præ Norvegiâ elegit; occupato sinu *Súganda-fiórd* & *Skala vvich*, usque *Stiga*.

SECT. 83. Thortida. *Sunda-filler*. Vnà cum filio VVólustenone, ex Norvegiâ, ut reliqui, in Islandiam devenit; occupavitque *Bo-*

lunga-vviih. prædium ejus *VVats nes.* Cognomen fæminæ *Porun ſunda-ſiller* quaſi fretorum repletrix; cognomini occaſionem fecit, ars ipſius magica, ad freta piſcibus replenda, cum aliquando, Halogia, Norvegiæ celebris toparchia, dirâ fame premeretur. Hæc fœmina eadem arte, in vaſto Iſlandiæ Occidentalis ſinu *Iſa-fiórd.* cui annectitur *Bolunga vviich*, deſignavit locum vel metam (*fiſke-mid*) piſcibus hamo capiendis, quam alibi, magis idoneum; quæ meta *Quiia-mid*, dici cæpit; inde, quod ad hanc rem, mercede conducta Thorrida eſſet ejuſmodi; ut ſinguli ſinus *Iſa-fiórd* accolæ, agnam lactantem, è ſtabulo ovium delectam, eidem conferrent. Stabulum autem æſtivum, agnis mulgendis ſub Dio deſtinatum, linguâ vernac. *Kviiar* vocatur, unde *Kviia-mid* eſt ſtabuli agnini meta.

SECT. 84. Helgo Rolffonis F. Cum in litore habitandi locum diſpiceret, reperit in quodam ſinu ſagittam, à ſociis incuriâ perditam, quâ pecudes marinæ, ut balenæ &c. configi ſolent; vernaculè *Skutull*, Vnde nomen ſinui fecit *Skutuls-fiórd*, ubi etiam habitationem locavit. Ejus Helgonis filius Thorſtenus cognomine *Ogiæſſa.* i. e. infortunium.

SECT. 85. Onundus *Kne.* i. e. Genu. Cognominis ratione non expoſitâ, Norvegiæ toparchiâ Ogdum diſcedens, occupavit *Alſſta-fiord* (à *cycnis*) & *Seidú-fiord*, (à piſcium abundantiore fæturâ) uxor huic Thorrida, Rúm-gyllta; à lecto & ſcrofa; credo ſomnolentam, & lecto nimium affixam fuiſſe. In Manuſcr. proſapia.

SECT. 86. Geironis liberi. Cognominatus eſt VVægeir. vir ſane inter ſuos, in toparchiâ Soghnenſi Norvegiæ haud infimi nominis; ſed idolis, ut patria reliqua, mancipatus. Ad cognomen, quod ſpectat, eſt illud à, *Væ*, quæ vocula, quid linguæ non uni, denotet, ſatis conſtat; & à *geir.* i. e. gladius. Liberos plures genuit, in quorum omnium nomina compoſita, illud, *Væ*, raro exemplo, ingreditur: ut ſunt *Væblindúr* cognomine *Svighna-kappe.* i.e. Soghnenſium pugil. Item *Væſteirn. Væthorner. Væmundur. Vægeſtur. Væbiórn*, & horum ſotor Vædiiſa. Hæc familia à morte parentis, offenſam incurrens Haquini, Ialleri Ladenſis Norvegiæ refugium in Iſlandiam habuit. Itaque fratres omnes prædicti, in multum autumnum, tempeſtatum inclementiâ jactati, appulerunt demum ad promontorium *Horn-ſtrander*, loco *Lada-vviik.* Vnde paulo poſt digreſſi, ſub rupe quadam præruptâ, naufragium paſſi ſunt; quam

rupem

rupem summo cum vitæ discrimine scandere, necessum habuerunt. Istic postmodum, dicta est rupis conscensæ, quædam quasi ruptura, per quam ascendebatur. *Svighna kleiff*, à viris istis ex Soghne Norvegiæ egressis. Hyemem proximam, liberaliter hospitio excepti sunt naufragi ab Atlero in *Fliòte*, Geirmundi Fusci villico; quæ hospitalitas & beneficentia, Domino, nempe Geirmundo Fusco (vel Furvo, ut supra) adeo non displicuit, eaque ex suo Naufragis exhibita (absente procul & inconsulto hero) ut Atlerum illum, & villâ cui præfectus fuerat, & libertate, (cum antea servus esset) donaverit. Quæ Magnificentiæ virtus, in homine, patriâ & ditionibus suis extorre, Comati crudelitatem (quamvis Rex, an tyrannus potius audiret) unum post alium, ut, quisque erat opulentior, ejicientem in omnium animis, tanto facit magis abominabilem, quanto Haralldus ille ejectis præstare cupiebat. Atlerus vero noster, in magnum deinde virum evasit, apud Islandos. Anno proximo, sinus *Skotu-fiord* (à rajâ pisce dicti) & sinus *Hefts-fiórd* (ab equo) interstitium Væblindus occupavit; sororemque Vædiisam elocavit Stenulfo de *Vnads-dal*, quem paulo post, ortis simultatibus, interemit, juxta stagnum *Stenulfs-vvatn*. Sceleris memoriam adhuc loquens. Ob quod sororii sui parricidium, idem Væblindus, cum sicariis duobus, quos Stenulfi neci, secum adhibuerat, capitis damnatus, & è vestigio occisus est.

SECT. 87. Gunstenus & Halldorus Fr. Gunnbiornonis Karkovii filii, occuparunt partem sinus *Skótu-fiórd*. vallem item *Laugar-dal*, & *Ogurs-vviich*, usque *Mióffva-fiórd*. Filius Halldori Besso fuit, pater Thormodi Rithmistæ [*Kolbrunar skálld*] in Islandia nati, & venæ adeo fluentis, ut ex pugnâ Stikla-stadense Norvegiæ vix evadens, animam constanti pectore exhalaturus, carmen non incultum funderet. *Kvad-tvar sextën-malltar viisur*.

SECT. 88. Snæberno, Eyvindi Ostmanni filius, matre Kiarvalâ natus, à qua prædium *Kiarlvvalastad* denominatum est. Occupavit sinum *Mióffva-fiórd* (ab angustia) usque ad *Daugardals-aa*. Fundum eximium *V[illegible]ats-fiórd* possedit.

SECT. 89. Olaus *Zaffna-kollur*. Fortassis, quod capilli, ex parte crispi, æquabiliter, herbam quandam vernaculè *Zaffne*, imitati sint. Occupavit inde à *Langadals-aa* usque *Sandeyrar-aa*, prædium *Vnads-dal*. Vxor Thora, filius Grimkillus.

SECT. 90. Thorulfus *fast-halldande*. Exponitur, fortiter retinens,

nens, vel tenax. Vir inſignis, ex Soghne Norvegiæ, furore Haquini Lada Iatleri, ejectus, refugium apud præmiſſos Sympatriotas, in Iſlandiâ quæſiturus; occupavit ab amne *Saudayrar-aa*, uſque *Gyarſpors-aa*, in ſinu *Raffns-fiórd* prædium *Snæfiöll.* i. e. montes nivoſi. Ille Iatlerus Ladenſis in Norvegia (ut hoc obiter annotetur) immanitatem Haraldianam, vexandis & ejiciendis ſympatriotis, ſtrenuè imitatus eſt. Opibus ſimul & inſanis incantamentis armatus; cujus artis ſummum gradum, & lauream meruiſſe, videri poterat; ſed pice fervente & denigratione mutandam; qui Æolum & Neptunum in perniciem Naufragorum, qui fuerunt ſuperius, Sect. 87. ſuis veneficiis concitaſſe putatur.

SECT. 91. Orlygus. Filius Bodvari *VViiga-ſtyrks.* (à forti dimicatione) expulſus Norvegiâ à Comato, & in Iſlandiam profugus, Geirmundum Furvum primo inviſit; à quo prædium bene opulentum *Adal vviich*; etiam *Sliettu* & *Iókuls-fiórd*, loca poſſidenda accepit.

SECT. 92. Hella-Biórno, Patre Herfinno, & Hellâ matre ſatus eſt; poſt diuturnas cum Comato exercitas inimicitias, ejuſdem ſævitiâ, randem expugnatus, more reliquorum ceſſit in Iſlandiam, appulitque in ſinu *Biarnar-fiórd.* Navem habens ſuſpenſis undique clypeis, exornatam, à quibus mutuato cognomento *Skiallda-Biórn* dici cæperat. Occupavit ab Iſthmo, *Strómnes*, uſque *Dranga*: prædium à ſuo nomine, ut alii plærique *Skiallda-Biarnar vviich*, dici voluit; ubi & *Skiallda-Birnar-nes*, habitatiuncula appellatur.

SECT. 93. Geirulfus Naufragium fecit, ad celſum promontorium *Geirulffs gnup.* Vbi etiam, ſuadente jam dicto *Skialldar biornone*, prædium extruxit. proſapia in Manuſcr.

SECT. 94. Geirraudus, *Hviith-Ski.* Cognomentum ſonat, albam nubem, ratione non memorata, ille in Norvegiâ Comati fraude peremptus, filios 3. reliquit. Qui in *Horn-ſtróndum*, Occidentalis Iſlandiæ, trium ſinuum Eponymi facti ſunt. I. Eyvindus in *Eyvindar-fiórd.* II. Ofeigus in *Ofeigs-fiórd.* III. Ingulfus in *Ingulffs-fiórd.*

SECT. 95. Thorvaldus Aſvaldi F. Avum habuit Vlfonem; Yxnathotum proavum Norvegiæ magnatem; applicuit in Drón-gum. Filium reliquit Ericum Ruffum illum gentis Gronlandicæ conditorem: ut ſupra. Cujus proſapia in Crymogæâ & alibi.

SECT. 96. Ericus occupavit ſinum *Eiriks-fiórd*, ac inde, uſque *VVerde-*

VVeideleisu, habitans in *Trekillens-vviik*, uxor Olufa, Ingulfi modo dicti filia. Huic filius Floserus, in prædium & possessa successit.

SECT. 97. Onundus, *Trefotur*, ac si lignipedem, licitè dicas, vt loripedem; occupavit *Kalldbaks-vvich*, & *Kollbeins-vvich* prædium *Kallbakur*, Filii 4. 1. Gretterus. 2. Thorgerus *Flóskubakur*, à gibbositate. 3. *Asgeir Adekollur*, generis præstantissimi, satis clarus. 4. Thorgrimus *Hærukollur*, à cano capite, cui filius Asmundus *Hærulangur*, à promissis canis, pater Gretteri robusti Midfiordensis.

SECT. 98. Svanerus, Skiallda Biórnonis F. Habitavit in sinu *Biarnar fiórd*, prædium. *Svans-höll*.

SECT. 99. Steingrimus. Occupavit vastum illum sinum *Steingrims-fiórd*; prædium *Trolla-tunga*. Ex hoc longâ nepotum serie, descendit Oddus (vel Otto) *Munch*, Monachus nempe Cænobii Thingórensis, Annalium & Calendarii indagator.

SECT. 100. Kollerus Occupavit sinum *Kolla-fiórd*, ex capitali illo sinu, *Steingrims fiórd* derivatum. Prædium ipsi ibidem, *Fell*.

SECT. 101. Thorbernus Bitra, frigus intensiss. ut & amaritudinem. Hic Thorbernus, homo nequissimus, quod cognomine præ se fert, (cui etiam vitâ & moribus respondit) & meliorum albo longè indignissimus; sed quia sinus *Bitru-fiórd* Eponymus extitit, non poterat omitti; neque diu hic supervixerat, cum fœdissimæ ipsius turpitudines, truculentâ morte, sed tali monstro, non indignâ, plecterentur.

SECT. 102. Arndiisa, fæmina, cogn. Opulenta Stenulfi filia, occupavit sinum *Ruta-fiórd* (dictum ab arietibus) à latere Occidentali, Inde à *Bordeyre*, versus boream. Prædium *Bær*; filius isti fæminæ Thorderus *Korna-mulæ* ut supra.

SECT. 103. Trosterus, & Grenjuderus FFr. Filii Hamundi *Hokins* (incurvi & gibbosi) occuparunt lateris Occidentalis sinus *Ruta fiórd*. partem anteriorem à *Bord-eyre* meridiem versus, prædium *Melar*. Filius Trosteri Thorkillus, habitavit *Kers-eyre*. Nepotum autem unus, in Rusculo *Fagra Brecka*, quasi amænus clivus, ibidem sito.

Estque hæc Islandia Occidentalis; quam à boreali Islandiâ amnis Ruta *fiardar-aa*, à tesquis meridionalibus, versus Boream, in maris illum sinum decurrens, disterminat.

ISLAN-

ISLANDIÆ BOREALIS

Specimen Hiſtoricum & chorographicum ab occidente per Septentrionem, Orientem verſus: ejuſdem primi Incolæ.

HAraldum, poſt Norum, ac inde Hemingum, priſcos Norvegiæ poſſeſſores (multis interjectis Regulis) qui primus illotum exemplo, totius ſibi Norvegiæ Dominium rapuit, Clariſſ. Pontanus, Haarfagerum, appoſitè ſatis, ut cognomen vernaculum, quam proximè tangeret, ubique vocitat. Iſtum Haraldum, quia antea Comati titulo, aliquoties deſignaveram, à comâ, quam ſtudioſe alebat; idque ex voto, dum Norvegiæ univerſo potiretur imperio, nunc ſimiliter, per Comati nomenclationem intellectum volo; in digreſſiunculâ ſuper Regimine Comati; quâ rerum præſentium expoſitio, nonnihil illuſtratur; illa vero digreſſio talis eſt. Celebratur pugna vel conflictus *Haffurs fiordenſis*: factus in ſinu Norvegiæ *Haffurs-fiord* [à caprorum gregibus, nomen adepto] quâ pugnâ Reguli Norvegiæ (*Eylckis-kongar*) aliique Magnates, illis conjuncti, ſpe retinendi ſuas ditiones, eaſque à Comati, etiam primum Reguli, omnium poſſeſſiones, nullius, vel innocentiſſ. reſpectu habito, invadentis, vi & tyrannide vindicandi eidem ſeſe, ſed non expectato eventu, oppoſuere. Creditum autem eſt (ut illud jam, à multis diſſimulatum, prædicatum ab aliis obiter attexam) non ſuis tantum viribus, vel humana ſimpliciter virtute, rem tantam conatum, auſum & aggreſſum fuiſſe; ſed qualicunque tandem, licet non omnibus manifeſto, Doffronis Gigantis in *Doffra-fiall* (nutritii olim ſui) ſubſidio fretum, id peregiſſe & prævaluiſſe. Sanè: adverſus tot, in iſto conflictu conjunctos, viribus & virtute bellicâ nihilo inferiores Comato; ſed fortunâ modo. Nam quam fuerit Regnum illud Norveg. ab iſto tempore, perpetuâlanienâ, ſtatim ab obitu Comati excarnificatum, uſque ad Olaum illum Tryggonis filium, id RR.Norveg. chronicon ſatis loquitur. Quamvis enim ante Comatum, ſatis erat cædium & ſanguinis in Norvegiâ: tamen is præcipue, tyrannus audit, apud Hiſtoricos. Sic nempe habent Antiquitates, Co-

matum

matum jam quinquennem, ſuſceptum à Doffrone, ut nuttitio, quinquennium alterum ibidem peregiſſe; eſto, per intervalla, ad obitum uſque parentis ſui Halfdani Fuſci Reguli Agdenſis in Norvegiâ, Parenti autem in ſuâ ditione, ſuccedens Comatus, ut per ætatem licuit, animum maturè ad conjugium applicuit, virginis cujuſdam, Gydæ filiæ Erici, Hordelandiæ Reguli Norvegiæ. Quæ reſpondit, Niſi prius totam ſubigeret Norvegiam, voti compotem non fore; ut quemadmodum in Daniâ Gormo; Ericus in Suecia rerum ſoli potirentur; ſic Comatus in Norvegiâ. Quod virginis reſponſum, cum conſiliarios & amicos juvenis Regii, male haberet, cenſebant conjugem vi & armis adipiſcendam. Ille vero prudentior, virginis reſponſum laudare, ſeque ab ipsâ, rei ne cogitatæ quidem admonitum fateri, non erubuit. Sicque deinceps, ad totius Norvegiæ regnum, per fas, an nefas, occupandum, animum appulit: votumque fecit, ſatis audax, ſe non ante comam permulſurum, aut circumtonderi curaturum, quam totius Norvegiæ Rex ſalutaretur. Hæc tradit diſerte Chtonicon RR. Norveg. etiam Danicè editum: licet Doffronis, & nomen & favorem, & auxilium, ac numen montanum, diſſimulet; Niſi quod Comatum aliquando, apud magni nominis quendam virum [*en Höffding* eſt in Danico] ſemeſtre integrum egiſſe, adhuc puerum [imo quinquennium licet interruptum, ut ſuprà] commemoret. Qui (magni nominis vir) procul Halfdano Fuſco, Regulo Agdenſe, patre Comati, habitans, ſubitaneam parentis mortem (periit enim in ſtagno quodam ruptâ glacie) filio Comato, in ipſo ſubmerſionis momento, nuntiâtit; atque ab ipſo ſubigendam Norvegiam prædixerit; ſuumque eidem favorem & ſubſidia condixerit. Hujus magnatis nomen, licet exemplar ſupprimat Danicum. (Vernaculum autem jam non eſt ad manum) ego tamen ex aliis monumentis, Doffronem interpretor. Qui ut paulo ante, Hælfdano ipſi Fuſco, dapes de menſâ, vel quadrâ regiâ, in conſpicuo quodam ſtratagemate ſurripuerat (quid ſi eodem, glaciem ſtagni, in quo Halfdanus Fuſcus periit, filio adoleſcenti, ſuo conſilio gratificaturus, perfregerat) magnus hic vir, eundem eſſe, qui hoc fecerit, faſſus ſit Comato (teſte exemplari Danico.) ſeque illam qualemcunque, ſurreptarum dapium, injuriam, filio bene cupiendo, beneque faciendo, velle reſarcire, ajebat. Ita peculiari arte, & non oſtentatis viribus, Comati in ſubigenda Norvegiâ victoriam,

 ex con-

excondicto, promovere potuerat; arte scilicet non manifesta. hoc est magicâ. Fuisse autem Comatum à Doffrone, aliquando &, aliquamdiu nutritum, testis est, exceptione major, ipsius Comati cognomentum, in hunc usque diem, nunquam obsoletum, quod inter alia gesserat, (nam plura sunt) *Haralldur-Doffra-fóstre.* hoc est à Doffrone educatus. Huc etiam facit, quod de Doffrone illo monticola traditum, reperitur, illum scilicet susceptum jam puerum Reginm, ulnis, ut solent, sæpiusculè complectentem, intra privatos parietes, oblectamento habuisse; quâ jucunditate, cnm aliquando, exiliendo liberius (*stans pede in uno*) sibi satisfaceret; capnt pueri, supra suum verticem, fortassis, elatum, vel sursum exporrectum, in tignum domus, aut trabem, imprudens impegit: quâ incuriâ, adeo usque sibi displicuit gigas, ut lacrymas non contineret: quod pner animadvertens, & faciem nutritii, pœnitudine facti, distortam, nonnihil expavescens, in hæc verba erupit. *fáer erú friidare, fostre, pópeir Skiale sig.* Hoc est. Pauci sunt, ô mi nutritie, qui si ringant faciem, formosiores appareant. Hæc vero ipsa de Comato apud Doffronem educato, præter monumenta scripta, in Islandiam retulerant, cum alii, tum in primis, duo viri, integri nominis, & ingenui, apud Doffronem etiam aliquando agentes. Prior quidem Barderus Dumbsonius, Doffronis gener factus, & cum conjuge Islandiæ Occidentalis, tandem incola, ad montem nivosum, sive *Snæfells-nes*, vid. Crymog. lib. I I. Geneal. I. Alter vero *Buo*, cognomine crassus; itemque *Slóongvubue*; eo quod funditoribus, palmam præriperet. Cujus etiam obiter meminit Crymogæa: Is Bardero, tempore posterior, Doffrone tamen superstite, ex Islandiâ, in Norvegiam delatus, eximio corpore, Comato citius innotuit, jubetur æthiopi monstrosis viribus famoso, in publico colluctari; quo superato, in aulam adscriptus, etiam Doffroni innotnit; quia per Buonem illum Doffro ad Comatum suum, donaria misit, non parvi pretii, ac in his latrunculos, Schaktiæ venientes, scrupulose elaboratos. &c. Duo hi viri, præter alios, famæ & relationum notarios, qui Doffronem de facie noverant, ipsius convictu, aliquandiu usi, istorum temporum, & rerum in Norvegiâ gestarum, non gnari esse, non poterant. Hæc quidem verbosius, ut ad Islandiam Borealem, præfarer, submonuit, hujus quidam incola, mox hisce præmissis subjungendus, ac inter complures alios, Comati tyrannide, patriâ extorris;

+ nomini

extorris; à quâ tyrannide, inter titulos & cognomina sua, factum est, ut *Haralldar-hard-raade.* hoc est CRUDELIS, ad sempiternam rei pessimæ memoriam recolendam, diceretur. Nec id ipsum Chronicon Norvegic: quamvis huic Haralldo, nihil detractum velit, sibi interim cælandum duxit, sed ut Mariana tempora annotandum; ait enim *Kong Haraldo (haarfager) lagde Indbyggerne den tyngsel, Adtsaa vvide, som hand vvandt landedt, lagde hand altt Odelgótzed under sig-od alle Bónder maate giffne hannom land-skile, baade riige och fattige.* Vide Crymog. Item *Skúlde hver Iarl haffne* $\frac{1}{3}$ *eller denn tredir partt aff kongens Indkomst och haffde denne Kong Harald saa meged forógedt land-skylld (landgillden) och alt Korgens kettighedt, adt Iarle haffde da meere Indkomst end kongerne haffde chill forne.* Hæc ex Danico, bonâ fide, sic verti possunt. Haraldus (Comatum intelligir; nisi mavis Auricomum) tantis incolas exercebat gravaminibus ut devictorum, sine exceptione, omnium, bona paterna, avitaque immobilia, confiscaret; exigeretque de omnibus pensiones annuas: estque hæc vis, per omnium & singulorum capita, cujuscunque tandem fortunæ essent, pervagata; idque adeo exactè, ac si possessiones illas avitas, nullo unquam jure, in potestate, habuissent. Item Baronibus Norvegiæ, tertiam redituum publicorum, lex & consuetudo (olim) adixerat; sed hic Haraldus, pensiones ita aggravari & exaugeri jussit; ut ista tertia, Baronibus condicta, summam æquaret, Regibus olim cedere solitam. Ista Chronicon. vide si libet Crymogæam. Regnum affectatum, ut in vitio, non ponatur, ab aliquo, quis hanc subditorum expilationem, idque per annos 70. continuatam, sive nunquam remissam, laudet, aut ullius rei prætensione excuset? cum sanguinis innocentis diluvio.

Hujus porro digressionis occasionem dedit, non solum, post tot sæcula, Justus, ob Mariana illa Norvegiæ tempora, dolor, animis adhuc insidens; sed ut modernos Islandos, ad justam quoque gratiam, divino Numini reddendam, excitarem; cujus nutu & bonitate, longo jam ævo, pacatis sedibus & halcyoniis fruimur, sub optato Daniæ Regum imperio, & fruituros deinceps speramus: ejusque gratitudinis admoneat, sæva & inaudita Comati tyrannis, quæ Majores nostros, satis amplis possessionibus, & patriâ dulciss. spoliatos, egit extorres, ac Oceano (quantum in Comati violentia fuit) crudelissimo submergendos, crudelior ipse,

G 2 extrusit.

extrusit, ut sic de paupertate nostra nos solemur, ardenti semper erga Deum clementissimum devotione animorum, illud in ore habentes,

Pax optima rerum
Quas homini novisse datum; Pax una triumphis
Innumeris melior

Quare nunc Islandiæ Borealis, Sectio prima, recte sequitur; si id tantum præmonuero; quod cum videam, aquilonem, septentrionem & boream, à scriptoribus, non semper scrupulose vel anxie discerni; me hic Borealem Islandiam usurpare, pró ea plagâ vel insulæ nostræ Quartâ, quæ vernaculè *Nordlendiinga-fiórdungur* vocari solet; quam sinus notabilis, ab Oceano Boreali, aliquot milliar: terram ingrediens; & in hunc à montanis Meridionalibus procurrens amnis, ab Occidentali Islandia dirimit: Nomen sinui *Ruta-fiórdur*, ab arietibus.

ISLANDIÆ BOREALIS, aliqualis Chorographia.

SECTIO. I. Balko, Blængi filius. Ex pugnâ vel hostili conflictu *Haffurs-fiórdensi*, salvus evadens Balko Blængi filius, in Islandiam Borealem flexit iter; occupatâ sinus *Ruta-fiórd*, ripâ Orientali, sibique vendicatâ, ubi prædia duo extruxit, à suo nomine, utrumque dictum *Balka-stad*; utrumque etiam istius ripæ extimum; unum quidem versus Boream, alterum contra montana & Meridiem. Et quamvis procedente tempore, trans sinum *Rutafiórd*, in ejusdem nempe Occidentem, lares extulerit; ibidem, in prædio *Bæ*, in fatâ concedens; tamen in *Balka-stad* Boreali sepeliri voluit; monumento æquabili Saxorum coagmenratione congesto, etiam hodie conspicuo, ex quo de corporis statura, aliquid colligitur; quum bustum, octonos hujus ævi cubitos habeat, cui busto Gretterus ille Asmundi Fil. nostras, suo tempore (vixit autem Olao Crasso aliis Sancto, Rege Norvegiæ) cognomine Robustus, multis facinoribus insignis, columellam perpendicularem, more obeliscorum, sed ad quatuor tantum ulnas surgentem, (hodie) forsan olim altiorem, superimposuit; Saxo quidem rudi sed satis quadrato, bene compactam, & hactenus illæsam, quantum videre est. Cujusmodi monumentum, nisi viri summam æstimationem testaturus

quâ-

quâ ſtemma, quâ virtutem, nunquam excitaſſet Gretterus, ævo quidem iſto, aſſentationum neſcio. Locus ſepulturæ eſt, ab ipſo lare, verſus Boream, paulum diſtans, in litore, ibidem, non nihil inſinuato, & ad rei memoriam teſtandam *Balk-vviich* dicto.

Sᴇᴄᴛ. 2. Beſſo, *Godlós*, hoc eſt atheus. Illum ſic ethnici populares vocabant, quod idolorum cultum averſaretur, quod ipſum, cum ex primis incolis, aliquot deſignarent, mox probri loco ſic dicti ſunt; ideoque non noſtro, ſed reliquorum Ethnicorum ſenſu, tum temporis, in malam partem, hoc cognominis obtinuerunt. Balkonis hic filius fuit, prædii *Beſſa-ſtad*, paternâ domo non ita procul diſtantis, verſus meridiem Eponymus, nec ignobilis familiæ parens. Ille Beſſo poſtmodum Iſlaudiæ Occidentalis incola factus eſt, propter affinitatem, cum Hiitardalenſibus contractam, ut ſupra.

Sᴇᴄᴛ. 3. Gunſteinus Meinfreterus, cognominis ratione non notâ, poſt Balkonem & Beſſonem, loci ſterilis forte pertæſos, alioque ut dictum eſt, concedentes, hic Gunſtenus, ripam ſinus *Ruta-fiórd* Orientalem, habitandam aſſumpſit; dum etiam ille, ob novas affinitates, in Occidentalem Iſlandiam migraret, ductâ Thorhilldâ Thorſteni Ruffi filiâ, ac proinde Audunæ prædivitis, ex filio, nepte, quorum proſapiâ in Manuſcr. ut ſupra.

Sᴇᴄᴛ. 4. Thoroddus cum filio Arnoro. Concedente alio Gunnſteno, hic Thoroddus nomen dedit prædio *Thorodd-ſtad* [hodie malè *Thorùſtad* à fæmina] in ſinus *Ruta-fiórd* ripa Orientali, ſito, filius Arnorus, cognomine *Hyneff ur* (quaſi hiſpidus naſus) duxit Gerdam, natam Budevari, de *Budevars holum*. Hæc & ſimilia propter locorum Eponymos, annotantur, alias parvi momenti. Conjugum horum neptim ex filio Thoroddo cognomine *Drapuſtuffur* [quaſi hemiſtichion dicas; quia forte Rithmum condere volens, nunquam abſolvit, aut raro] VValgerdam nomine, uxorem accepit Skeggo, cognomine *Skamm-hendingur*, à curto brachio, aut etiam Rithmi parte abruptâ. [*Skammur* i. e. brevis, & *hending* Rithmi pars, incompleta, ferè idem cum *Drápu-ſtaff*] iis vero natus eſt Gamle ſive Gamaliel. Huic Gamalieli Otto, ſive Oddur, ab officio vel genere vitæ. *Mukur* id eſt monachus, cænobii videlicet Thiingorenſis, calendarii & Hiſtoriæ ſtudioſus. Reliquam Skamm-hendingi proſapiam vide in Manuſcr.

Sᴇᴄᴛ. 5. Biórno. cognomine *Skinna-biórn*, ab exuviis ferarum

quibus negotiando, rem faciebat, non equidem pudendo cognomento.; cum etiam à mercaturâ, ejusdem nominis & cognominis ferè fuerit, ipsius Comati filiorum unus; *Biórn Kóp-mann*, de cujus stemmate materno frustra inquiritur, si, ut fama fuit, & ut puto, literis proditum est, pater 20. conjuges habuerat. Is tamen, sive nothus, sive ingenuus, id vitæ genus amplexus, cognomento occasionem dedit, à paternâ hæreditate non exclusus est. Quæ res fratrem sceleratum Ericum Blodox, cæde innocentium, Norveg. regem, patris ea parte similem, ad nefarium, occiso hoc Biórnone parricidium impulit. Occupavit autem *Skinna-Biórn*, sinum *Midfiórd*, cum valliculâ *Liinakra-dal*.

SECT. 6. Skeggo. Cognom. *Mid-fiardar-Skegge*. A sinu proxime superiori *Ruta fiord* vicino; ubi facile princeps evasit, tracto cognomine, *Skinna Biórnone* genitus. Habuit prædium Reykense, cui synchronus & vicinus eximius, & magni vir nominis, Thorderus sive Theodorus, cognomine *Hrada*, quasi timor vel terror, eo quod hunc fortibus ausis aliis incuteret. Porro Skeggo jam dictus, & paulo prolixius dicendus, si quæ patri à vilis illius mercaturæ exercitio, orta est obscuritas, sui nominis fama illustravit.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

Multum ille (Skeggo) & terris, fuerat jactatus & alto: & sic nautico vitæ generi addictus, primum fortitudinis & animositatis, varia exempla edidit, [*hann var Garpur mikill* est in Manuscr.] utrumque mare pervagatus; ut in Balthico moram traxit, Rolffoni *Kraka* Daniæ &c. Regi, terra congestum monumentum aperuit. & intravit; indidemque ensem Regium, cum securi eximia, quâ Rolffonis pugil primarius *Beina hiallto*, Usus antea fuerat, asportavit, quo ense R. *Skóffnung* dicto noster *Skegg*: perpetuo cinctus, multas abstulit victorias. Skóffnungi autem valorem, & præstantiam, vel inde licebit æstimare; quod nostrates in præliis decantandis, delectos quosque gladios, Skoffnungos vocitent, synecdochen talem amantes: quemadmodum etiam alia præstantiorum acinacum nomina propria, appellativa fecere, ut *Lauffe. Bæsingur. Mimmungur. Mistils-teinn*; *dains-leiffur*. & plura, in quibus &c. celebratur *Sortibrá*.

Sverd hans heiter Sortibrá, Sextan Kónga fellde.

VVar

VVar sembrike hióllium frá-brijngur af logande Elde. hoc est.

Gladius ipsius (pugilis vel Herois cujusdam, tum commemorati) vocatur *Sortibrá*, quo Reges 16. (intelligo diversis pugnis) occubuerunt. (vel si magis ad vernaculum accedatur) qui 16. Reges cecidit, ac si videas à vibrato capulo, circulum, (vel halonem quendam, vel si mavis coronam) ignitum emicare. Vide Histor. Nov: Danicè edit. de gladio Haquini Adalstenii, laudatissimi Reg: Norvegiæ, licet Comati R. filii, fratrisque Blodoxii, successor; cui gladio nomen fuit *Quarn-bytur*, hoc est molam (*quarn*) præmordens; eò quod dictus acinacis, tanti foret acuminis, ut Saxi molaris extremo limbo, vel circumferentiæ impactus valide, uno ictu, illud ad centrum usque secaret, & quasi diffinderet. Intelligo autem Sectionem vel scissuram, secundum crassitudinem Saxi istius, non vero secundum latitudinem ejusdem. Simili porro, quo jam in gladiorum nominibus, tropo, etiam in Regum appellationibus, uti, Nostratibus placuit: ut cum Skiólldungorum nomenclatione, quosvis Reges, honorificè, insignire, sibi permittunt; ut quum à Skiolldo. R. Dano. Skiolldungar, primum Danorum soli Reges, vocati sint; postea omnes, omnium Nationum Reges, Skiólldungorum nomine venerunt. Sed valeant parerga.

Filium Skeggo prædictus habuit EIDERVM, à juris Islandici peritia *Laga Eyder* dictum; cui conjunx Haffihora Korna-muleri (fuerat ille supra) filia. Filius alter Skeggoni Kollerus, qui ex filio Halldono, sustulit neptes. Nostratibus satis notas Thorkatlam & Thordiisam, & hanc quidem Skálld-Helgonis conjugem. Reliqua Skeggonis familia requiratur in Manuscr. & Crymog. lib. II. in Geneal.

SECT. 7. Haraldus *Riing*. Norvegorum nobili stemmate progenitus [*att-stór madur* est in Manuscr.] Appulit in *VVestur-hoop*, consęditque primum, in loco portui vicino *Riing-stad*: Deinde isthmum satis vastum *VVats nes*, sibi vendicavit; constituto istius latifundii, termino, ad Occidentem *Ambáttar-aa*. i.e. amnis vel rivus ancillæ, in quo forsan suffocata fuerat; ad orientem *Thver-aa* usque *Biarga-ós*. Haraldi filius. Thorgeirus, prædium habuit *Hoolax*, Abnepos Solverus *hinn-Prvvde* [ab integritate] prædium *Ægis-siidu*. (i. e. latus vel ripa maris) possedit.

SECT. 8. Soterus occupavit prædium à suo vocatum nomine, *Söta-fell*, hodie *Breida-bölstad*. SECT.

SECT. 9. Audunus *Skókull*. Cujus majores & prosapiam, vide in Crymog: lib. 2. geneal 9. Fratrem, qui illic omissus est, habuit Ericum; cui filius Siguardus *Bióda-Skalle*; cui filia Isgerda, nupta Thorero Baroni VVamælandico. Dictus jam Audunus, stemmatis decore & divitiis, inprimis virtute, satis prædicatus, relictâ, complurium magnatum exemplo, Norvegiâ, Islandiam complexus, occupavit vallem *VViide-dal*; prædii *Audunar-stad* Eponymus. Filio Asgeiro, prædium *Asgeirs-aa*, assignans, aliisque alias habitationes, in *VViide-dal*, distribuens, sive à latitudine, sive salicum proventu, vallis *VViide-dal*, appellata sit. Hujus Auduni, ut & ejusdem amici conjunctissimi Thorslai Giallanda, prosapiam, quam in Crymog. latius in Manuscr. expositam vide.

SECT. 10. Ormerus. Vallem *Orms-dal* occupavit.

SECT. 11. Ingemundus, *VVats-dæla Gode* ~~etenim~~ Grandævus. Nobilissimâ etiam ille, in Raumdalensium Norveg. familiâ natus, cui à fœminâ quadam fatidicâ (*vvólffur* tales appellant) fuerat prædictum, Fore, ut in terrâ quadam Oceani Occidentalis (NB) „ NONDVM COGNITA, IS cum suis, solum vertens, victurus esset, Cui eventus satis respondit, collatis temporum, & aliarum rerum circumstantiis. Nam postmodum quam hoc vaticinium ederetur, Ingemundus piraticâ (in quâ se multum exercebant isto ævo Norvegi) relictâ, in familiaritatem Comati receptus (quod paucis contigit) & Regis factus affinis, ejusdem instinctu, in Islandiam, adhuc passim non occupatam, navigavit; vallem occupans Borealis Islandiæ, *VVats-dal*, (à stagnis majoribus) sibique plusquam dimidiam, montana versus, retinens, reliquam familiaribus possidendam distribuit; ipse in Hoff Sedes domesticas locando; non quidem, ut plurimi solebant, à suo nomine, appellatione factâ, sed ab Idolorum delubro, satis magnificè extructo, majoreque superstitione Diis ethnicis dicato. In quod cum advena quidam apud Ingemundum hibernans, gladium præstantem quo cinctus erat, incautior inferret; inde, ut Hospiti, atque Delubri Domino; vel Præfecto, Ingemundo, visum, eodem jure mulctatus est, idemque gladius Ingemundo proprius cessit. Tanta quidem erat fanorum prisca religio. Porro desideraverat, hic Ingemundus, quodam autumno, ex armento domestico, septem numero sues, qui post biennium, in valle, à suibus istis vocatâ, *Sviina-dal*, ad centum capita multiplicati, reperiebantur.

bantur, id propter vallis *Sviina-dal* nomen proprium; & quod inde constet, quam denso nemore, nondum excisis, pro habitationum commoditate, sylvis, insula Islandia, passim abundaverit. Erunt autem de Ingemundo plura in sequentibus, cujus proprium nomen, derivatur à Deastro ethnicorum, *Inge* & *mundur*, Thesaurus vel pecunia, quemadmodum plurima, hujus Gentis propria nomina, componuntur à Deastris, videlicet istis, *Inge*, *Thor*, *Freyr*, *Vale*. &c.

SECT. 12. Hallormus. Ille primum advectus, apud modo commemoratum Ingemundum Grandævum, duxitque filiam ipsius uxorem, cui dotis loco, atque patrimonium cesserunt habitationes, *Karns-aar lönd*. Iis natus est Thorgrimus cognomine *Karns-aar Gode*.

SECT. 13. Hrolleifus cum matre *Liót*. i.e. turpis. Hi in Islandiam meridionalem, jam à Norvegis penitus occupatam, primum appulsi, coacti sunt in Boreali Islandiâ sedes & manendi locum quærere, quas tamen ægrè invenerunt; inventasque non diu retinuerunt, licet essent Norvegici sanguinis. Multis enim flagitiis, incolarum integritatem offenderunt, eorumque modestiam expugnaverunt; erat siquidem mater diris veneficiis instructissima. Vallem interim montanam, in tractu *Slieta-hliid*, ad sinum *Skaga-fiörd*, *Hrolleiffs-dal* postmodum, à nequissimi hominis proprio nomine sic appellatam, precariò obtinuerunt, unde, paulo post, ob cædes & scelera ejecti, ad Ingemundum Grandævum (Sect. 11.) uti proximæ à *Skaga-fiord*, toparchiæ, facile principem, magnificentiam Humanitatis ipsius experturi, confugerunt, magno dolo, improbitatem celantes; à quo prædium *Odds-aas*, impetrarunt habitandum, sitam trans amnem piscosum. *VVatsdals-aa*, è regione *Hoff*, ipsius nempe Ingemundi residentiæ; hac conditione interposita; ut Hrolleifus cum suis, Ingemundo, ut hero ac Domino, ipsiusque domesticis, piscatum venientibus, semper & ubique cederet. Cæterum quid fit? Non diu erat, cum filiis Ingemundi, quodam tempore, piscandi gratiâ accedentibus, scelus & cænum Hrolleifus iste, armis & furibundâ audaciâ resisteret. Quas turbas satis cruentas, cum vellet Ingemundus senio jam confectus, oculisque captus, interveniens dirimere, seseque medium, in amnis medio, interponeret. Sperans desperatum sicarium Hrolleifum sibi parciturum; tum momento temporis eodem ab hoc quoque

eodem beneficiario suo, propriâ nefariâque manu, lanceâ transverberatus, vitam finivit. Quam cædem nefariam, relicti Ingemundi filii, patricidæ (Dominum enim & quidem tam beneficum, cuique tantum debuit, hominum quos sol aspexit, ingratissimus, occiderat.) & matris ipsius veneficæ, internecione, vix tandem & magno negotio (pollebat namque filius perditissimus robore non vulgari, audaciâ vero & furore incomparabili, ut mater veneficiis) ulti sunt. Et bonus Ingemundus talem exitum vitæ habuit, inter primos Islandiæ incolas maximo precio ipse habitus. Sicque vaticinium, fatidicæ illius fæminæ (quæ fuit supetius) est completum, quæ tamen non mortis genus, sed manendi & moriendi locum, ætatemque grandiorem prædixerat. Facit autem vaticinium illud, & res vaticinio respondens, pro nostris Annalibus de Islandiâ, ad Comati tempora usque desertâ; siquidem hoc Rege N. & consultore Ingemundus noster, solum mutavit, & hic, (non alibi,) vitâ decessit. Vide autem quid simile supra, de Thorsteno quodam Launano, unde tale pro Annalibus, argumentum petebatur; quanquam sint hæc levioris armaturæ: armaque potiora aliunde petantur.

SECT. 14. Eyvindus cognomine *Audkvvla*, Is cum Thorsteno Giallanda vallem *Sviina-dal* occuparunt, & ille quidem prædium collocans in *Audkvvla-stad*, hic in *Sviina-vvatne*, ejusdem cum stagno, ad quod situm est, appellationis.

SECT. 15. Thorbernus Eyvindus, Sórkverus. Occupavit Thorberus tractum *Kolku-myrar.* Sórkverus vallem *Blóndu-dal*, ab amne Blanda. Eyvindus in dictam quoque vallem concedens, nomen fecit prædio *Eyvindar-stad.*

SECT. 16. Ævatus, cum filiis. Ipse filius Chetilli, cognomine *Hellu-flaga.* & Thordiisæ, natæ Haraldo *Gulls kegg.* [flava vel aurea barba] Domino in Soghne Norveg: Ævarus filios plures habuit, qui sunt. 1. Væfreiderus. 2. Karlerus. 3. Thorbernus cognomine *Struig-ur.* 4. Gunnstenus. 5. Thordetus, cognomine *Mikill.* Ipse Ævatus, ostium fluenti, *Blóndu-ós*, ingressus; sociis habitationes imperavit, ab Occidentali latere fluenti *Blóndu*; ipse vallem *Langa-dal*, per quam, amnis sive fluentum Blanda à montanis meridional. in mare decurrit, à latere occupavit Orientali, ibidemque filiis & familiaribus aliquot habitandi loca descripsit. Væfreidero, quidem Móbeg, Striugero *Striug-stad*; Gunnsteino

Gunnsteins-

Gunnsteins-stad. Karlero *Karla-stad.* Mikillo *Mikel-stad;* Odulfo *Odulffs stad;* Gautoni *Gauts-dal.* Haukoni *Hauks-gröff.* &c. Ipse vero Ævarus, prædium *Ævars kard* excoluit. Sórkverus antea commemoratus, Ingemundi grandævi, intimi amici indignam cædem, adeo impotenter ferebat, ut αὐτοχειρίᾳ vitam sibi abrumperet. Væfreideri autem, & reliquorum posteri, in Manuscr. leguntur.

SECT. 17. Hollterus occupavit vallis *Lánga-dal* prædium *Hollta-stad*, à suo nomine appellationem sortitum. Prosapia numerosa est in Manuscr.

SECT. 18. Manerus, à monomachiis pluribus, dictus *Hólmgaungu Mane.* occupavit sinus *VVatna fiórd*, ripam Orientalem; quum Occidentalem ejusdem sinus ripam, Isthmus *VVatz-nes*, supra memoratus constituat. Occupavit totum spacium, inde à *Fossaa*, usque *Mana hóg*, sive *Mana tuffu.* posteri in Manuscr.

SECT. 19. Eilifur, ex appellativo factum proprium. Notat perpetuum, vel sempiternum cognomen *Orn*, aquila. Occupavit inde à *Mana-tuffu*, ingentem tractum, sinui *Skagaa-fiórd*, adjacentem, cum valle *Laxaar-dal*, usque *Góngu-skards-aa.* Filii ipsius Cunradus de *Giliaa*, & Thorulfus *Gode* [præfectus Delubri] de Hoffe, in *Skage strand.* Reliqua Eiliifi prosapia est in Manuscr.

SECT. 20. Sæmundus *hinn Súdnrayske.* Eó, quod in Hebridibus aliquantisper vixerit; natione interim Norvegus; occupavit totum *Sæmundar hlid*; supra rivum *Sæmundar-læk*, hodie *Sæmundar-aa.* Cum jam antea appulisset in *Góngu-Skards aar-ós.* Vide in Manuscr. prosapiam & alia.

SECT. 21. Skefillus appulit ibidem, & eodem tempore, quo Sæmundus; Occupavit à *Saud-aa* usque *Skeffils stad*, quod ipsi prædium fuit domesticum, à suo nomine denominatum; quæ quidem loca Sæmundus deputaverat; sed in Skefilli occupationem tacitus consensit.

SECT. 22. Vlfliotus. Occupavit totum tractum *Lang-hollt*, ad Orientem rivi *Sæmundar læk.*

SECT. 23. Thorkillus Skidonis F. Grandævi. Occupavit *VVatz-Skard*, cum valle *Svartaar-dal.* Filius ipsi *Thork:* Atmodus *Skialge.* Reliqua prosapia est in Manuscr.

SECT. 24. Alfgeirus. Occupavit *Alffgeirs vvelle*, usque *Mæle fells-aa.*

SECT. 25. Thorvidus. Occupavit supra *Mæle-fells-aa* usque *Giliaa.* prosapia in Manuscr.

SECT. 26. Roskillus. Occupavit vallem *Svvartaar-dal*, aliam ab eâ, quæ fuit Sect. 23. & *Irar-fells-lönd*, usque *Gil-haga*. prædium *Irar-fell*. Habitationis suæ terminum austrinum, designavit montis cujusdam rupturam (illam enim, *Gil*, vernaculum denotat.) *Rareks-gil*. à servo *Rarekur*.

SECT. 27 Ericus Haraldi F. vir insignis. Occupavit *God-dale*, valles nempe ab idolis, sic nuncupatas, inde à *Giliaa*, usque *Nordur-aa*. Quarum tamen vallium partem Onundus quidam ipsi præripuit; ut dicetur. Prædium *Erico Hoff*, ab idolorum fano; ut reliquæ omnes habitationes, id nominis gerentes. Prosapia in Manuscr. satis prolixè.

SECT. 28. Vækillus. *Hamrame*. Sic appellabantur, qui in furorem quotiescunque conversi, viribus vel robore fiunt immanes. Prædium sibi fecit *Mæle-fell*, sese versus meridiem, usque *VVakilshauga*, dilatavit. Tumuli sunt, ab isto Vækillo, etiam hodie nomenclationem retinentes. Quo audito Ericus de *Goddal*; etiam versus meridiem, sese extendit, usque *Kial-braun*.

SECT. 29. Hredarus. ab *Kraku-hreidar*, à cornice. Appulit naufragus in litore *Borgar-Sand*, ubi cum nuper occupatam depræhenderet, totam viciniam, divertit ad Havardum *Hegra*, [vulturem sonat] habentem interamnium *Hegra-nes*. Vertente autem anno proposuerat, locum habitandi, à dicto nuper Sæmundo, monomachiâ exigere, ut victus loco cedere cogeretur, victori; pessimâ istius sæculi consuetudine. Sed ab Hegrone & Erico de *God-dal*, aliter persuasus, consilium mutavit, nactusque est ab Erico, non incommodum habitandi locum *Tungu-Sveit*. tractum nempe inde à *Skala-myre*, amnibus utrinque conclusum. Prædium *Steinsstader*. Vide Manuscr.

SECT. 30. Onundus cognomine *vviis*. Præscius vel præsagus Occupavit montem Orientalem, ad flumen *Iökuls-aa*; inde à rupturâ montis *Merke-gil* [à determinando] meridionalia tesqua versus; cujus è regione latus Occidentale vallis (per quam fluvius *Iökuls-aa*, secundum longitudinem ptolabens, ejusdem latera dirimit) Ericus de *God-dal*. sibi possidendum deputaverat; eratque jam occupaturus; cum illum Onundus *vviis* stratagemate tali prævenitet. Obtinuerat consuetudo, in legem abiens, ut agrum suum, vel habitationis terminos designaturi, adusti graminis quasi sulcum ducerent, (vel in circuitu, vel ab uno & altero latere, ubi res ita postularet)

ſtularet) qui cujuſque poſſeſſionem vel agrum, ab alieno, limitaret. Vnde jam hic Onundus, quum fluvius *Iókuls-aa*, eo loci, eſſet impervius, eſſetque maturato opus, pharetram ignitam (*tundurór* eſt in Manuſcr.) trans fluvium jaculatus eſt, è regione ſui fundi (cui appellatio fuit *Merke-gil*) agrum ſic incenſum vel aduſtum ſibi vendicans; quem terminum Erico non licuit tranſcendere. Atque hac ratione vallem *Iókúls-aar-dal*, utrinque ſuam reddidit. illam vero conſuetudinem, per ejuſmodi combuſti graminis ductum, agros & loca limitandi, Manuſcr. ita tradit. *Peir fórá ellde um land nám ſitt.* Proſapia in Manuſcr.

SECT. 31. Karus. Reliquam à prædio Onundi *Merke-gil*, vallem Karus occupavit, boream verſus, ad amnem uſque *Nordur aa*, qui ab Oriente in fluvium *Jókuls-a* prolabitur, prædium *Flata-tunga* unde prædii Dominus *tungu-kane*, cognomen ſumpſit. Ab hoc Silfſtaſtadingorum familia orta eſt.

SECT. 32. Thorbrandus. *Orrekur.* quaſi acriter impellens. Occupavit à rivo *Bölſtadar-aa*, totum montem *Silſfraſtada bliid*. Cum valle Septentrionali *Norduraar-dal.* Prædium ipſi *Thorbrandſtad* [hodie *Nedrekot*] adeo largus & liberalis; ut quum per ipſius domicilium, via eſſet publica, ædificium viatoribus peculiariter deſtinatum, bipatens poneret; per cujus utrinque apertum oſtium, caballis ſarcinatis, introitus exituſque facilis fuit; antico ſcilicet admiſſis, emiſſis poſtico. In quâ etiam ipsâ domo, menſa in promptu fuit, jugi apparatu, illac iter habentibus & prandere volentibus, gratis inſtructa. Cujuſmodi liberalitatis exemplum, etiam refertur, de *Geirriidâ* quadam, Iſlandiæ Occidentalis incolâ, & viatorum benignâ hoſpitâ. Thorbrandus hic Orrekus nec ſtammate, nec munificentiâ, ulli popularium ſecundus, nomen fecit montanis ſupra *Hauka-ſtad*, (ab accipitribus nomine tracto, fundus verſus Orientem priori vicinus.) *Orreks-heide*, dictis.

SECT. 33. Hialmolfus. Occupavit montem *Blóndu-liid*, filius ipſi Thorgrimus *Kúgie.* Nepos Oddus de *Axlar-haga* [humeri montanæ paſcua] unde Axlarhagingorum familia derivata.

SECT. 34. Thorerus *Dúffu-neſſ.* roſtrum columbinum. Fuit libertus viri Norvegiæ Prædivitis, qui à Bovibus caſtratis, quos habuit plurimos, *Txnathorer* dictus eſt. Appulerat *Dúffuneſſ*, in *Góngu-skards-aar ós.* Vnde, quia loca plæraque, à conterraneis ſuis jam occupata, comperiſſet, ſuperato fluvio *Iókúls-aa*, ortum ver-

 ſus per-

ſus pergendo ; occupavit montem inter *Glóda-feykirs-aa*, & *Diupad*, Prædium *Myre.* [poſtea *flugu-myre.* Eodem tempore, appulit in *Kolbeins-aar-ós*, navis armentis onuſta ; ex quibus deſiderata ; equa generoſa, à pernicitate Fluga [i. e. muſca volans] appellata. Latuit in nemore Brimneſenſi ; nec à poſſeſſoribus recuperata, ceſſit Dúſſuneſſero : qui ſpem precio redimens, eandem in opaco illo Brimneſenſi arboreto, inveſtigatam, poſſedit. Quod, propter nemus Brimneſenſe, quale tum fuerit, annotare volui ; quum ibidem hodie vix virgultum conſpiciatur. Ad tantam nunc ſolum Iſlandicum ſterilitatem, redactum, incolarum difficultates & pauperiem, tanto infelicius promovet. Iſta vero Fluga, in agri loco paludoſiore, ſuffocata, prædii nomen extendit, ut *flúgu-myre* diceretur ; quod antea Myre, ut modo attigi.

SECT. 35. Kolſveno *Hinn-Rame*, à robore. Occupavit inter *Thveraa* & *Gluiſſuraa*, Prædium *Kolſveins ſtad*, è regione fundi *Thveraa* ſitum. Illud vero habitaculum, à præterfluente ejuſdem voculæ rivo (*Thveraa*) ex montanis orientalibus, derivato, nomen gerit. Kolſvenus Idolorum delubro, in vicino fundo *Hoffs ſtad*, vixit addictiſſimus.

SECT. 36. Sunnulfus à ſole, qui nobis, (ut fere Germanis) *Sunna* dicitur, occupavit à *Thveraa* uſque *Glóda-feyker*, (à prunis & perflando) montis aliquoties memorati latus. Prædium *Hvamm.*

SECT. 37. *Sleitu-Biórn.* A tergiverſatione & urſo, nomine, ut videtur, compoſito. Fuit Regibus Sueciæ & Ruſſiæ oriundus. Genealogia in Manuſcr. ſatis explicatè tradita.

SECT. 38. Ondulfus. Ex eadem familia deſcendens (uterque primum Norvegiæ incola) emit à Sleitu-Biórnone, latifundium illud, inde ab *Hals-gróff*, uſque *Kolbeins aar-ós*, collem totum *Hriisbals*, à Nauta *Búß læk*, aduſque *Gluiſſur-aa.* Ondulfi (ab anatibus & lupo) prædium *VVid-vviich.* Familia plurima in Manuſcr.

SECT. 39. Kolbenus Sigmundi F. Ex *VVeſt folld* Norvegiæ oriundus. Occupavit poſt Sleitu-biórnonem, inter *Griotaa* & *Deilldaraa*, adhæc vallem utramque *Kolbeins-dal*, & *Hiallta-dal.* Cui Hiallterus tamen, eandem à Kolbeno redimens, primus fuit Eponymus.

SECT. 40. Hiallterus. Occupavit, ut dixi, *Hiallta-dal*, vallem à Kolbeno redemptam. filii ipſius Thorvalldus & Thorderus, qui parenti, juſta ſolventes celeberrimum, ſui temporis epulum,

lum, 1200. hoſpitibus conſtans, exhibuerunt, idque pacatiſſimum; Nominiſque & famæ conciliandæ gratia, in viros primarios, muneta ſplendida conferendo; quorum familiæ, tam genere, quam aliis ornamentis, in patriâ Iſlandiâ exinde claruerunt. Hiallteri prædium *Hoff*, ſub valle *VVillinga-dal*, cum Holis, ubi Eccleſia cathedralis eſt, eundem fundum conſtituit.

SECT. 41. Thorderus, Regnero Lodbrogho R. &c. oriundus. Vide Crymog. libr. 11. Genealog. 19. Occupavit inter *Vnadals-aa*, & Promontorium *Hrolleiffs-hoffda*; undecim filiorum, & filiarum octo, ingenti proſapiâ celebris. Prædium *Hóffde*, & à tali Domino *Thórdar-hóffde*, ſitum in tractu illo, ad ſinum *Skaga fiord*, qui *Hóffda-ſtrónd* appellatur. Quin & Thorderus, præcipuis Iſlandiæ Magnatibus accenſitus, à non ignobili prædio, quod & ipſe proprietarius nobilitavit, *Hóffda-Thordur* dici cæperat. Vide, ſi libet, in Mannſcr. hujus Thorderi (ut & plurimorum) diſtinctas familias & poſteros, quæ genealogiæ, in hoc compendio, nimis prolixæ, minuſque gratæ, futuræ erant.

SECT. 42. Hrolleifus Magnus, ſubaudi, infamiâ & ſcelere, quum etiam robore ſatis polleret. quod utinam melius habitare, fata ſiviſſent. Fit ejus mentio ſupra: ubi de Ingemundo grandævo, de *Hoffe*, VVatz dalenſium toparchâ; ſed id hoc loco, propter rerum ſeriem iterandum venit, ex parte. Vide Sect. 13. Iſlandiæ Borealis. Thordero itaque annuente, occupavit Hrolleiſus ille, vallem Domino ſuo vicinam. *Hrolleiffs-dal* à colono nuncupatam, qui appulerat in promontorio *Hrolleiffs-Hóffda*. Videtur ſine matrimonio & liberis deceſſiſſe, ne tam noxio ſanguine, iſtius Furiæ ſemine, ager Iſlandiæ, ad Zizania ferenda, alioqui ſatis fœcundus, illo præſertim tempore, magis adhuc inficeretur, ac tanto citius peſſundaretur.

SECT. 43. Fridleifus. Occupavit tractum, *Slietta-liid*, cum valle *Fridleiffs-dal*, ab amne *Floka-dals-aa*, uſque *Staffaa*. Prædium *Hollt*. proſapia in Manuſcr.

SECT. 44. Floko, non ille VValgerdarſionius, Iſlandiæ tertius inventor, ſed qui avum maternum habuit *Hórda-karonem* Norvegiæ celebrem incolam. Occupavit vallem *Flóka-dal*, inde ab amne *Flókadals-aa*, uſque *Reykiar-hool*, Prædium *Moor*; Vxor *Gróa*, *Hóffda* Thorderi ſoror Germana, quorum filius Oddleifus *Staffur* de *Staffshóle*, *Staffur* ſcipionem denotat.

SECT.

SECT. 45. Thorderus Knappur appulit in Isthmo *Haganes*, Occupavit *Ostúr-fiót*, supra *Stifflu* usque *Tungu-aa*. Prædium *Knappstadur*. prosapia in Manuscr.

SECT. 46. Helgo cognomine *Naffur-Helge*. à terebrâ Knapponis frater, Occupavit *Haganes*, infra *Bard*, usque *Floka-dals-aa*, versus Occidentem; ipsumque adeo montem *Bard*, Orientalem. Prædium *Grindill*. hodie corrupte *Griller*. Prosapia in Manuscr.

SECT. 47. Barderus. Cognomine. *Sudurey-ingur*, quod ex Hebridibus advenisset, Natione interim Norvegus, occupavit à *Staffaa*, ad amnem usque *Mioffea-dals-aa*, filius Hallerus *Miódalingur*, quod vallem *Mióffva-dal* (ab angustiâ) incoleret. Ipsius filiam duxit Arnorus. *Kellingar-neff*. i. e. nasus vetulæ.

SECT. 48. Bruno. Cognomine *hinn-hviite*. i. e. albus vel candidus, duo contraria in uno subjecto, Nigredo scilicet à quâ *Brun*, & albedo, sive candor. possunt tamen reconciliari, ut fuscus corpore sit candidus animo. Hareki Opplandorum principis in Norvegiâ Bruno noster, filius fuit præstantissimus. Occupavit ab amne *Mioffva-dals-aa*, oram maritimam, usque *Vlffdale*. Prædium *Bruna-stader*, ex quo Bardveriorum familia.

SECT. 49. Vlfo. Cognomine *VViikingur*, prædio, & occupavit prædium *Vlff-dale*, in promontorio ejusdem nominis.

SECT. 50. Olaus *Beckur*. i. e. rivus vel etiam scamnum. Natus Barone Biarkeyense Norveg. Occupavit dimidium sinum *Olaaffsfiórd*, & valles *Vlffdale*; Orientem versus: Prædium *Keiia-Beckur*.

SECT. 51. Thormodus *hinn* Rame, robustus, propter cæsum à se Gyrderum, qui Skialgoni de Iadre in Norvegiâ, avus maternus fuerat, Norvegiâ exulans. in Islandiam penetravit; appellens in sinu *Siglu-firde* [à malo navis, qui *Sigla* vernaculè] idque velis nunquam prius demissis, quam in litore intimo consisteret, sinum istum penitus occupavit; Promontorio *Siglunes*, & altero, quod vallesculas *Vlffdalé*, continet, interjectum. Huic cum Olao *Beck* lis intercessit, & discordia, in cædes erumpens cruentas. Patrem Thormodus habuit Haraldum *VViiking*: Conjugem Arngerdam Skidonis ex *Skida-dal* Islandiæ Borealioris filiam; quorum filii Arngeirus *Hvasse*. [acer vel acutus] & Narferus. Cui nepos fuit *Riifeyar-Naffe*.

SECT. 52. Gundulfus annosus. Ex Soghne Norvegiæ Oriundus, Occupavit ab amne Reykaa ad promontorium Womúla;

prædium

prædium *Gunnolffs-aa* [hodie corruptè *Gånnlaugs-aa*] *Vxor Gróa.* Thorvardi de Vrdum filia. Prosapia horum in Manuscr.

SECT. 53. Helgo *Hinn-Magre*, Macer vel macilentus cognomine: non quod talis esset, infantiam jam egressus; sed quia procul domo parentum, jam puer, biennium educatus, adeo sordide nutritus sit, ut suis restitutus, præ macie non agnosceretur. Qui jam adultior, in præstantem virum & magnatem evaserit, Macilenti cognomine retento. Filius fuit Eyvindi Ostmanni, sæpius nominati, uxorem habens Thorunnam Hyrnu, Patre Chetillo Simo. Occupavit Macilentus vastum Islandiæ Borealis Sinum. *Eya-fiórd*, ab insulis, parvulâ quidem unâ, ac in sinus ipso fere aditu positâ; alterâ majusculâ, & milliar: aliquot distante; Hæc *Grüms-ey*, illa *Riis-ey* Vernaculè. Sinus autem nomine, hic & alibi intelligimus, non modo ipsos tractus marinos, sed etiam valles, in hunc vel illum Sinum desinentes. Prædium fuit Macilento Christ-nes; quod quia Christianorum professionem amplexus videri volebat, sic appellari jussit: qui tamen in Religione admodum titubabat, quâ de re habet Manuscr.

Helge hinn magre, var blandinn miög i trú; hann trúde à Christ á lande. Enn hiet à Thór til Siöffvaróg hardraada. Pá helge sá Island, gieck hann til frietta vid Thor (Þor) 'hvvar hann skylde land taka? Pá vvüsade friettinn hónum nordur um land. Pá Spurde Pórdur [*al: Hrólffur*] *Sonur hans, hvórt hann munde halda til dumbs haffs, eff Priettinn vvüsade honum Párgad?* i. e. Helgonis Macri fides sive Religio nimium vacillans, nutabat; nam in terrâ (*Naar hand var paa landedt*) Christum colere, illique adhærere visus est; Sed in mari, vel arduum quid aggressurus Thoro Deastro fuit devotior. Is cum primum Islandiam haberet in prospectu, Thori simulachrum secum allatum consuluit, quonam in litore insulæ, sibi appellendum esset? Responsum tulit ab oraculo, in terram Septemtrionis, navigationem esse dirigendam. Illic Rolfo (aliis Thorderus) Macilenti filius (Patris vacillantem Divorum cultum, nonnihil cavillatus) quærit; An si Thori oraculum ipsi *Dumbs-haff.* (i. e. mare vel æquor, aquilonari Northbotniæ adjacens, & toto cælo, totoque Oceano, ab Islandiâ distans) monstraret, sive responso suo designaret. Anne (inquit Rolfo) cursum esset eo directurus, atque eò tendere certus esset? Nam quis non videt ambiguitatem responsi? Porro in litore aliisque à Macilento occupatis, plurimi ipsius

nutu & permissu, habitandi spacium delegerunt, ut mox fere dicetur. Interim ipse Macilentus Eyfiordensis coloniæ facile princeps extitit.

SECT. 54. Thorstenus *Svarffadur*. Ex Naumædal Norvegiæ oriundus, occupavit vallem *Svarffadardal*, sinui *Eyafiórd* ab Occidente adjacentem, uxorem habens Hilldam, filiam Thraini, cognomento *Svarta-puss*. prosapia in Manuscr.

SECT. 55. Karlerus Ruffus. Dicti jam Thorsteni filius, occupavit tractum maris sive litus ex valle *Svarffadardal*, emensum, inde à prædio *Vlffaa* usque *Miganda*, prædium Karlero fuit *Karls-aa* notatum.

SECT. 56. *Orn*. Occupavit ad Sinum *Eya-fiórd*, erecto in litore Occidentali prædio, ab ipsius nomine *Arnar-nes* vocato. Filius ei fuit Narfverus, à quo scopulus maris *Narffva-sker*: Huic uxor Vlfhillda Inghaldi de *Gnupufelle* filia; quorum filius Asbrandus; Nepos *Hellu Narfe*; Eyulfus pronepos; Thorvaldus de Haga, abnepos; Grimus de *Kalff-skinne*, atnepos.

SECT. 57. Calmannus. Occupavit tractum sive litus, *Galmans-strónd*; inter *Restar-aa*, & *Thorvalds-dals-aa*. Filius ejus Thorvaldus vallis *Thorvalds-dal* fuit Eponymus, quam etiam incoluit. prosapia in Manuscr.

SECT. 58. Hamundus Furvus, Frater Geirmundi *Heliar-skinneri*, supra memorati, ejusdemque cognominis, etiam partu eodemque editus; Accepit à dicto jam Thorvaldo, habitandi locum, inter *Thorvalds-dals-aa*, & *Hórg-aa*; à quo amne vallis, per quam in sinum *Eya-fiórd* delabitur, *Hórgaar-dalur*, nomen sumit: utrumque tam amnis, quam vallis, ab *Hórgum*. i. e. idolis dicitur.

SECT. 59. Gunnleifus Rapperi F. Occupavit vallem *Hórgaardal*, usque *Myrk-aa*: prædium *Forn-hagie*. Filius Biorno *Hinn Audge*. i. e. dives. de *Audbrecku* [notat clivum opulentum] à quo familia denominata.

SECT. 60. Thorderus *Sliitande*: i. e. disrumpens. Occupavit dictam vallem, *Hórgaar-dal*, utrinque à *Myrk-aa* & *Dróngum*, ad tesqua usque *Hjallta-dals-heide*. Filius Arnulfus, cui conjunx fato venit Ingvollda, cognomine, *Allra-Syster*, ratione cognomenti ignota: sonat autem omnium sororem. Horum filii Thorderus & Thorvaldus de *Christ-nese*. Item Stengrimus de *Kroppe*; notat prædii appellatio, corpus, vel potius cadaver. Ille Sliitanderus, Skalmoni

consan-

conſanguineo ſuo, partem agri occupati conceſſit; cui filius erat Thoralfus *Hinn Sterke* (robuſtus) de *Myrkaa*.

SECT. 61. Thorerus *Puſsa-Spreinger*. Eò, quod *Puſsa* vel Trollos, ut vocant, forſan dæmones montanos, neſcitur ubi locorum, in Norvegiâ, an alibi, rumpi vel diſrumpi fecerit; natus in Halogiâ Norvegiæ; ſed ob inimicitias Haquini, Ialleri Ladenſis, ultro patriâ exulans, in Iſlandiam ſeſe contulit; Occupando vallem *Oxna-dal*, à bubus caſtratis dictam; prædium *VVatz-aa*. Filius Steinraudus, *Hinn rame*, Sic dicti ſunt robore pænè invicto pollentes.

SECT. 62. Audulfus. Ex Iadar Norvegiæ [hodie *Liſten*] diſcedens, occupavit etiam vallem *Oxna-dal*, à Thveraa, verſus boream, uſque *Baiſs-aa Sydre*. hoc eſt magis meridionalem, (cum duo ſint vicina ejuſdem appellationis rura) ubi & prædium habuit domeſticum. uxor Thorhilda, Macilenti filia. Proſapia in Manuſcr.

SECT. 63. Eyſtenus, Patre Rodulfo, ſed avo Yxnachorero natus, occupavit *Baiſs-aa* exteriorem, ad montem uſque *Kræklinga-liid*. prædium *Loon*. proſapia in Manuſcr.

SECT. 64. Aſmundus. Montem *Kræklinga-liid* occupavit, prædium *Glera* meridionaliorem.

SECT. 65. Aſgrimus. Ibidem occupavit, prædium *Gleraa* borealiorem. Ad hunc virum de medio tollendum, Comatus, ſicarium huc ablegavit. Sed is in valle *Hvvinveria-dal*, tranſactâ hieme, Aſgrimum forte nunquam aſpexit: ſed re intentatâ, nedum infectâ, ad Dominum rediit. Vallis autem, quam dixi, ubi Sicarius & Legatus latuit, hibernando, ſita eſt ad montem *Kialfell*; dictum à carinâ navis, cujus formam ſupernè repræſentat. Aſgrimo filius fuit Ellidagrimus; huic natus filius, avo cognominis. Reliqua proſapia eſt in manuſcripto.

Quo pacto Macilentus, loca ſibi vendicata, inter affines & amicos diſtribuit.

SECT. 66. Hamundus Furvus iterum. Is fæminam Macilento conſanguineam, uxorem duxit, cui idcirco, utpote facto affini, intercapedinem *Merkigils* & *Skióldals-aar*, Macilentus deputavit. prædium *Eſpihóll Sydre*. Ex Hamundi Furvi poſteris, Thorerus nactus eſt *Eſpihólytra*. Thorvaldus *Krokur* (hamus vel uncus) occupavit *Grand* prædium, Thorgrimus *Módrufell*.

SECT. 67. Gunnerus. Cujus Vlfliotus pater, conſtitutiones

Iuris positivi, ex Norvegiâ allatas, Islandis communicavit; Macilenti filiarum unâ in uxorem ductâ, simul nactus est agrum, à *Skóldals-aa* usque *Háls*; prædium *Diupadalur* (vallis profunda) Prosapia in Manuscr.

SECT. 68. Audunus *Rotenn*, sive Calvaster. Filius Thorúlfi *Smiór*, i.e. butyrum cognominati, tertiam duxit Macilenti filiam, Helgam nomine; cumque hac, agrum ab *Hals*, usque *VVillinga-dal* obtinuit, prædium *Saurbar*. Posteros prolixè recenset Manuscr.

SECT. 69. Rolfo, Macilenti filius. Huic pater attribuit totum Orientale latus sinus *Eya-fiórd* inde ab *Arnarhvole*, ad montem usque *Gnupu-fell*, contra meridiem; qui Rolfo, prædium, ejusdem cum monte, appellationis, ibidem fundavit; ubi etiam Fanum magnificum erexit. Vxor Thoruna. Prosapia in Manuscr. prolixa est.

SECT. 70. Inghalldus Macilenti filius. Accepit similiter à patre, terræ tractum, ab *Arnar-hvole*, boream versus, usque ad amnem *Thveraa*. prædium *Thveraa*; hodiè *Muvka Thveraa*, â monachis, postquam eorum cœnobium ibidem fundatum est. Dicitur autem *Thveraa*, rivus, sive amnis, qui vallem, non per longitudinem, sed qui è montibus ruens, eandem transversim interluit. Delubrum satis operosum, in fundo suo Inghalldus extruxit. Cujus prosapia est in Manuscr.

SECT. 71. Thorgrimus Thorderi F. Quartam Macilenti filiam, Salgerdam, ille accepit conjugem, cumque ipsâ habitandi loca, à *Thvera*, usque *VVargia*, prædium *Fiskelækur*. i.e. Piscosus rivus, prosapia in Manuscr.

SECT. 72. Skagerus Loptonis F. Ex Moere Norvegiæ oriundus, vir insignis, annuente Macilento, tractum maritimum, lateris Orientalis, Sinus *Eya-fiórd* à Wargia, usque *Fnioskadals-aa*. Occupavit prædium *Siglu-vviich*. prosapia in Manuscr. filius Thorbernus: Nepos Hædinus largus, qui prædium *Svalbard* fundavit.

SECT. 73. Thorerus *Snepill*. Notat panni vel pellis sarmentum; appulit in ostio fluvii *Skialfanda-flióts*. Occupavit montem *Kalldakinn*, à rupe *Skugga-biórg*, usque *Lióſa-vatn*, adhæc vallem *Fnioska-dal*. prædium *Lundur*. i.e. Lucus, quo ad sacra Ethnica, vice Fani, Snepillus usus est. Filii Ormerus *Tósku-bakur* (à portatâ tergo manticâ) & Thorkillus de *Hleinargard*, prædio *Eyfiórdensi*:

uxor

uxor Gudlanga, Rolfonis filia, & Macilenti (ut creditur) neptis. Iis nati sunt Aungullus de *Aungul-ftad* (Aungullhamus) cognomine Niger; & Thorderus de Stockalódum. Vtrumque prædium eſt Eyſiordenſe. item filia Thorriida, conjunx, ut exiſtimatur, Thorgeiri *Lioſa-vvatns Goda.*

S e c t. 74. Theingillus. Ex Halogiâ Norvegiæ oriundus, de voluntate Macilenti, occupavit, ultra fluvium *Fnioskaa*, agrum *Grene-vviich*. prædium *Höffde.* proſapia in Manuſcr.

S e c t. 75. Thormodus occupavit à *Grene-vviich*, uſque *Hvallatur*, cum litore maris uſque *Thorgeirs-fiörd.* filius *Snörtur*; unde Snertlingorum familia.

S e c t. 76. Eyvindus F. Aungulli *Lodinn* (hirſutus) Ex Halogiâ Norvegiæ oriundus. Occupavit vallem *Flateyar-dal*, ab inſulâ perexiguâ *Flatey*, litori adjacente; uſque ad rupes Gunſteina; ubi ſacra ſua, hoc eſt Ethnica, facere conſuevit. Inde non procul abeſt Snepilli [Sect. 73.] locorum occupatorum terminus. Huic filius fuit *Asbiörno*; Nepos Finnbogus *Rame*, vir maximo numero. Qui nec immanes horruit urſos.

S e c t. 77. Barderus. Appulit in oſtio *Skialfanda-fliöts*; quaſi tremens fluvius, per Metonymiam; quod tremere faciat, tum homines, præſertim ignotos, tum ſolum adjacens, quibuſdam in locis, (ut ferunt,) ubi catadupæ, ex loco altiore proruunt. Quarum etiam ſonitus procul exauditur. Vallem à ſuo nomine *Bardardal* occupavit, à *Kalffborgar-aa* uſque *Eyardals-aa.* prædium Lundabrecka quaſi lucorum clivus; quamdiu hic manſerat. Poſtea enim, ſuperatis teſquis meridionalibus, locum mutavit, tractu *Fliötshverfe* occupato, meridionalis incola factus, prædium novum, *Gnupar*, dici voluit. Vnde ipſi cognomen *Gnup-Bardur*. *Gnupar* autem vocantur montium altiora cacumina. Profectionis iſtius trames per ardua, & eouſque invia deſerta, ductus, *Bardar-gata* [Barderi ſemita vel via] appellari cæpit. Hæc per montis rupturam quandam ducit; *Vonar-Skard* dictam. *Skard* enim rupturam, vel defectum & hiatum notat; quod illic mons veluti ruptus, ac in ſe ipſo, tanquam deficiens, hiatum vel valleculam anguſtiorem efficiat: & *von*, Spes exponitur; quia Spe magis, quam rei aut eventus certitudine, hoc iter Barderus ingreſſus ſit. Ex numeroſâ hujus viri familiâ, commemoratur Thorerus *Ledur-háls*, quaſi tergina cervix: eo quod in exercitu Haquini Adalſtenii (filius laudatiſſi-

mus erat, Comati patris minus laudandi) Norvegiæ Regis, pugnantis, caput & collum protegens, galeæ & thoracis, corium rude bubulum, vicem præstaret. Huic à Thorero Barderi filio, nati sunt Havardus de *Fells-mvvla*, Ornulfus de *My-vatn*, Chetellus de *Husa-vviik*, & Halferus de *Helga-vatne*.

SECT. 78. Thorvidus *Mane*. i. e. Luna Askilli filius, Occupavit infra *Eyardals-aa*, cum dimidio *Lióffa-vvatns-Skard* prædium *Oxar-aa*.

SECT. 79. Thorerus, F. Grimi *Gráfelldar-Mvvla*. Ex Rogelandiâ Norvegiæ Oriundus; occupavit reliquum agrum (à Thorvido, qui Sect. 78. fuerat, non occupatum) in *Liosa-vatns-Skard*. Ille ex tribus conjugiis, filios complures; & ex concubinatu etiam aliquot, suscepit. Vnde ipsius prosapia prolixior est in Manuscr.

SECT. 80. Hædinus Occupavit loca ad habitandum, infra telqua *Eungu-heide*. prædium *Hiedins-hóffde*. Vocatur autem *Hóffde* promontorium minus. Prosapia in Manuscr.

SECT. 81. Hóskulldus Occupavit inde ad Orientem, fluvium *Lax-aa*, prædium *Saur-vviich*; ab illo stagnum vicinum *Hóskulldar vatn* nomen traxit; in quo is suffocatus periit. His occupatis locis, continetur portus *Husa-vviich*, in quo Gardarus olim, desertâ adhuc insulâ, hiemem unicam exegit.

SECT. 82. Vestarus & Vlfo consortes. Occuparunt vallem *Reykia-dal*, ab Occidente fluvii *Lax-aa* usque ad stagnum *VVestars-vatn*. Vlfonis prædium, sub monticulo *Skratta-fell*. i. e. mons dæmonum. prosapia in Manuscr.

SECT. 83. Eyvindus, alias Eystenus. Cum fratre Chetello, Barone Hordelandiæ, Norvegiæ Toparchiâ orti. Appulit prior Eyvindus, in portu *Husa-vviich*, occupavit vallem *Reykia-dal*, supra vel ultra stagnum *Vestars-vatn*; prædium *Helga-vatn*; ubi & monumentum conspicitur. Chetellus deinde, nuncio fratris accersitus, occupavit prædium *Einars-stad*, hodie dictum. Cujus familia in Manuscr. latissime explicatur; in qua Thorbernus *Gode*, de *Asbiarnar-vviich*, & Socko de *Breydamyre* continentur & clarent.

SECT. 84. Grenjuderus Rappsonius hæc loca occupavit. *Theianda dal* (vallis silens) vel silentis scilicet aquæ, vel rivi, sine murmure decurrentis. Item *Krauna heide. Thorgerdar-fell*, ac vallem *Laxaar-dal* inferiorem. prædium *Grenjudar-stad*.

SECT. 85. Baudulfus an Raudulfus. Ex Toparchiâ Norvegiæ Agdensi

Agdensi oriundus, cum familiâ non pauca, appulit naufragus in *Tiórnes*, quo occupato promontorio, satis vasto, habitavit primum prædium *Raudulfstad*. prosapia in Manuscr.

SECT. 86. Skeggo Raudulfi filius. Occupavit tractum *Kielldu-hverffe* usque *Kielldu-nes*, prædium *Mikle-gardur*, uxor Helga, filia Thoreri de *Fisk læk*; quorum filius Thorerus Farmannus; sic autem appellati sunt, vitæ generi nautico addicti. Is, cum adhuc in Norvegiæ illa Toparchiâ Agdensi, ageret, navem struxit eximiam, ab Episcopo loci, Sigvardo, solenniter consecratam; ex cujus navis jam fractæ sarmentis, atlantes atrienses, in fundo Miklagardensi, cujus modo fuit mentio, facti sunt; quorum indicio præsagium futuræ tempestatis, fieri potuisse tradunt; nempe sonitu aliquali, qui in iis ederetur, flante vento, colligendum id fuisse: aut quæcunque alia causa, isti superstitioni, ansam dederit. Longè autem fastigio domus, altius, ejusmodi Atlantes assurgere solebant. Vernaculè *Dyra-brandar*.

SECT. 87. Manerus. Ex Halogiâ sæpius jam nominatâ Norvegiæ Toparchia, oriundus, appulit Naufragus in *Rünaar-ós*, sed resistente ipsi Raudulfo, in viciniam istam non receptus, occupavit infra *Kalffborgar-aa* (à mari longiusculè digressus) desedit ad monticulum *Mana-fell* rusculo suo, eodem nomine indito, à suo proprio. Situm est Manafell ad fluvium *Skialffanda*, antea dictum.

SECT. 88. Lioterus *Opveiginn*, hoc est illotus. Occupavit tractum *Kielldu-hverffe*, inde à *Kielldu-nes*, versus meridiem. Ejus filius *Griis*, sive Griiserus; pater Gallta vel Gallteri de *Ase*. Gallte, suem marem & adultum: *Griis* suculam exponimus.

SECT. 89. Onundus. Occupavit eundem tractum, & prædium idem cum Illoto, filius erat Blængi Sotasonii; eoque frater Balkonis suprà à quo Chorographiam Islandiæ Borealis exorsi, eandem fere cum fratre Onundo, brevi finiemus. Filiam Onundi duxit Hallgisellus de *Rauda-skridu*.

SECT. 90. Thorstenus Sigmundi filius. Gnupa Barderi (supra) nepos, prædium habuit *Myvatn* ad stagnum ejusdem nominis situm. Filius ipsi Thorgrimus, pater Arnheri de *Reykia-liid*, cui uxor Thorkatla Bodvari de Gnupufelle filia.

SECT. 91. Thorkillus Haverus, *Hinn Haffve*. i.e. procerus. Occupavit prædium *Granavatn* à Stagno ejusdem vocabuli, ita dictum; quod à Stagno illo majore *Myvatn* derivatur, quod ipsum

à muſcis, earumque nimis moleſtâ, damnoſâque interdum copiâ, Iſlandicè *My* & à *vatn.* i. e. aqua, nomen traxit. Hujus filius (Haveri nempe) Sigmundus, uxorem accepit Thoreri de *Eſpihoole* (ſupra) filiam.

SECT. 92. Geiro. Occupavit primo *Geira-ſtad*, in litore Stagni *My vatn*, meridionali: inde mutatis ſedibus, commoratus eſt in *Geira-ſtad*, ſito ad ſtagnum *Huna-vatn*, vicino fundo Thingórenſi. Tandem in Iſlandiam Occidentalem ſe conferens, deſedit in ſinu *Kroks-fiord*; poſito ibidem de ſuo nomine prædio idemque valli viciniæ *Geira-dalur*, inditum eſt nominis. Itaque trium longe diſſitorum prædiorum eponymus hic Geiro factus eſt. Proſapia ipſius, ut reliquorum; eſt in Manuſcr.

SECT. 93. Einarus, Rógnvalldo Mœræ Iallero Norveg: ortus; cum ſociis, occupavit ſinum, cui *Oxar-fiórd*, nomen dedit, à ſecuri, ad amnem *Reſtar-aa*, terræ impactâ, uſque *Arnarthuffu* & *Kroſſaas*, quibus à ſe inditis locorum appellationibus, ſuam determinatam voluit terræ occupatæ partem. Proſapia in Manuſcr.

SECT. 94. Reiſtarus Occupavit inter *Reiſtaraar-gnup*, & *Rauda-gnup.* jacentes montes, prædium *Leirhóffn*, à Limo.

SECT. 95. Arngeirus. Occupavit tractum *Sliettu.* (quia minus montoſus eſt) inter *Havarar-lon*, & *Sveinungs-viich.* Filii Thorgiſellus & Oddus. Pater Arngeirus, cum filiorum altero Oddo (vel Oddone) gregem ovium, procul domo, quæſitum & actum iverant; ſed ortâ tempeſtate cum grandine, mixta nivibus, certarum viarum non facti ſunt compotes; unde quum expectatione tardius, ac nequidem redirent, relictus filius Thorgiſellus, eoſdem requiſiturus abit, reperitque ab immani urſo diſcerptos; illumque cadaveribus jam avidius inſtantem, fortiter ſtratum, trucidavit: quem in modum plures, in vetuſtâ hac gente reperiuntur, pugnâ ſolitariâ, cum urſis congreſſi.

SECT. 96. Sveinungerus & Collerus; occupavere; ille *Sveinungs-vviich*; hic *Kolla-vviich.*

SECT. 97. Chetellus *Piſtill*, à tribulis. Occupavit ſinum *Thiſtils-fiórd.* Cui filius fuit Einarus de *Lauga-brecku.* vir cum primis fortitudinis, & ſtrenuitatis laude nobilitatus. Vide Iſlandiam Occidentalem, Sectione 34.

SPECI-

SPECIMEN ISLANDIÆ
ORIENTALIS CHOROGRAPHICVM.

Et primi Incolæ.

SECT. 1. Gunulfus *Kreppa.* i. e. anguſtia. Pater ipſi Thorerus *Höka-neff.* (roſtrum accipitris) Baro ſive Iallerus Norvegiæ, occupavit ſinum *Gunnulfs-vviich.* & montem *Gunnulfs-fell*; nec non promontorium *Langa-nes*, à teſquis *Hölkundar-heide.* prædium *fagra-nes*. Iſthmus amænus; filius Skulo Herckia.

SECT. 2. Hrodgeirus Hrappſonius. Occupavit *Sand-vviich* (ab arenâ) à promontorio *Digre-mvvle*; uſque *VVid-fiórd.* prædium *Skeggia-ſtad.* Fratrem Altrekum habuit; cui filius Litulfus, *Gode*, Toparcha Svarfadardalenſis.

SECT. 3. Finno occupavit *Finna-fiórd* & *VVid-fiórd*, à copiâ lignorum. proſapia in Manuſcr.

SECT. 4. Eyvindus *VVopne*, Refferus ruffus. Hi viri; ut plurimi, Regis nomen, patriſque Patriæ, in odioſum ac damnabilem Tyranni titulum, vertentis Comati, injuriis, patriâ extorres, navigationem ſuſceperunt Iſlandiam. Sed Refferus tempeſtate diverſus actus, vela retro convertit, & Comati mucronibus, jugulum porrexit. Wopnerus autem ſinum *VVopna-fiórd*, à proprio nomine vocatum occupavit.

SECT. 5. Stenbiórno *Kottur.* i. e. felis. Occiſi modo Ruffi, à Comato, filius, patris ſpiculatorem, alius diceret carnificem, declinans, appulit in ſinu *VVopna-fiórd*, cui patruus locum habitandi indulſit; ab amne *VVopna-fiardar-aa*, ad alium uſque amnem, *VVeſtra-dalsaa.* prædium *Hoff.* filii Reffverus, avi nomen retinens, de *Reff-ſtad:* Thormodus de *Sunnu-dal*, (vallis ſolaris) & Eigillus de *Eigil-ſtad*.

SECT. 6. Hroadus Bióla, Wopneri amicus, occupavit vallis dimidium ad occidentem, & partem vallis *Sunnu-dal*, uſque *Digra-nes.* prædium *Torffa-nes*; filius Iſraudus, cui gener contigit Oddo, Aſulfi de Hóffda filius.

SECT. 7. Thorſtenus candidus *Hinn Hviite.* Olveri filius, inter Norvegiæ nobiles, haud ultimus, in ſinu *VVopna-fiórd*, jam

undique occupato, appulit; quocirca habitationem à Wopnero redemit; prædium nempe, in Topta-vóllum, prope *Sirekſtad*; ubi temporis commoratus aliquantulum, prædium *Hoff*, etiam coëmit; ibidem totos annos 60. incolens. Conjugia & proſapiæ ſeriem diſtinctam habet Manuſcr.

SECT. 8. Lytingus Ripam ſinus *VVopna-fiórd* orientalem occupavit; Nam id quod modo dictum eſt, totum ſinum fuiſſe occupatum, adveniente Thorſt: Candido; de valle, (ut alias) montana meridionalia verſus, à mari vel litore exporrectâ, capiendum eſt: quæ etiam *VVopna-fiórdur*, de conſuetudine loquendi vernaculâ, appellatur. Ripa vero cujuſlibet ſinus, incipit, ubi deſinit vallis. Occupavit item Lytingus præterea, valles *Bódvars-dal* & *Fagra-dal*, prædium *Kroſsa-vviich*. Iſte wopnfirdingorum poſtea dictorum ortus generiſque princeps extitit.

SECT. 9. Thorpiderus. *Porvidur* vernaculè primum in *Skeggia-ſtad*; poſtea N. habitavit. proſapia in Manuſcr.

SECT. 10. Thorſtenus *Torffve*. Occupavit montem, inde ab *Vlfs-fiéllum*, ad amnem uſque *Hvannaa*. prædium *Foſs-fell*. *Hvónn* autém eſt flos angelicæ non ſativæ. proſapia in Manuſcr.

SECT. 11. Haquinus. Occupavit vallem *Fliots dal*, à fluvio nomen ſumente; ad occidentem amnis *Iókuls-aa*; ſupra *Teigur-aa*. prædium *Hakonarſtad*. Vide Manuſcr.

SECT. 12. Skiólldulfus Vermundi F. & frater Berlu-karonis. Occupavit latus Orientale vallis *Iókul-dal*, ſupra amnem *Knefils-dals-aa*. prædium *Skiólldulff-ſtad*. proſapia ubi aſſolet.

SECT. 13. Thorderus Thorulfi filius Cognomine *Hialme*; ſic appellamus boves, caput albos, reliquum corpus, quovis colore ſimplici, præter album, conſpiciendos. Occupavit Interamnium *Lagar-fliót*, uſque *Iokuls-aa*, infra rupes *Dranga*, verſus boream. proſapia in Manuſcr.

SECT. 14. Gyſſerus *Slaga-kollur*. Occupavit interamnium *Orms-aar* & *Rang-aar*. proſapia in Manuſcr.

SECT. 15. Chetellus & Graut-Atlerus FFr. Thranderi filii. Occupavit Chetellus, ante, Brynulfi mox dicendi, acceſſum, vallem *VVeria-dal*. Accepit inde ripam fluminis *Lagar-fliots*, ad occidentem, inter *Heingefoſs-aa* & *Orms-aa*. Ductâque uxore Ragneidâ, prædium poſuit in *Ragneidar-ſtad*; quorum filius Thranderus, pater Chetelli de *Niard-vvich*. Graut-Atlerus vero ejuſdem fluminis ri-

nis ripam Orientalem, inter *Giliaa* & *VVella-nes*, ab Occidente rivi *Oxa-lak*.

SECT. 16. Brynulfus grandævus, Norvegiæ quidam incola, maximo numero reputatus, Thorgeirus nomine, filios tres, patris virtutum hæredes, reliquit: Brynulfum hunc grandævum; Ævarum ejusdem cognominis, & Hiorleifum. Quorum singuli, cum suis singulis vecti navibus, in Islandiam fæliciter pertigerunt; occasione quâ plærique alii. Nam quis sibi ab Invidiæ & avaritiæ furiis, potentia armatis, non metuet? Et Brynulfus in sinum *Eskiu-fiórd* appellens, occupavit *Fliots-dal*, supra *Heingifoss-aa*, ad occidentem; supraque *Giliaa*, ad orientem. Præterea vallem *Skriddal*, cum Planicie, usque *Eyvindar-aa*. Quindecim filiorum parens fuit. Quorum conjugia & prosapia in Manuscr.

SECT. 17. Ævarus grandævus appulit eodem tempore in sinu *Reidar-fiórd*, ab insigni & quidem inter grandiores, Balænâ, dicta *Reidur*, accepitque à fratre *Skriddal*; supra *Gilsaa*; prædium *Arnal-stad*. Quinque liberorum parens.

SECT. 18. Asbrandus duxerat Asvaram, dicti Ævari ex fratre, neptem, quæ dotis loco accepit, latum tractum, inter *Eyvindar-aa* & *Giliaa*. Prædium fuit his conjugibus *Ketel-stader*. Prosapia satis celebris in Manuscripto.

SECT. 19. Raffnkillus Raffnsonius, Islandiâ jam plærisque locis præoccupatâ à Norvegis, occupandam tamen impetravit *Raffns-dal*, prædium *Steinródar-stad* postea dictum. Locorum enim propria; alia cum primis incolis; alia successu temporis nata sunt. Quod tam hic, quam alibi notatum volumus.

SECT. 20. Vnerus [vel Vnas, adis, ut in Crymog.] Vix aliquot mensibus Islandiæ incola. Multis nominibus extollit Comatum. R. Histor. Norv. Danicè edita, sed & multa, tam illic, quam in aliis Antiquitatibus occurrunt, quæ maximam illi laudem, ex parte derogant; ejusque Nominis celebritatem obfuscare possunt; quibus nunc supersedeo. Vnicum, quod hujus loci est, silentio præterire nequeo; quod videlicet per hunc, dictum modo Vnerum, conatus sit Norvegos, factos jam Islandos, fraudulenter sub tyrannidis jugum denuo redigere. Ita enim inter ipsum, ipsiusque ablegatum (sed clandestinum) Vnerum convenerat; ut Vnerus Islandiæ primoribus, quocunque tandem dolo & simulamine aut deceptis, in Regis voluntatem amplectendam, aut è medio sublatis,

insulam Regis imperio manciparet: & illum Rex vicissim, Baronis instructum potestate, suo sub Dominatu, Islandiæ præficeret. Sed invertit Deus hunc astum Comato, & in ablegati Vneri caput. hoc totum malum convertit: ut hic paulo distinctius, per præsumtionis tam fallacis & dolosæ circumstantias, exponemus quam in Crymogæa factum est. Vnerus itaque sese Norvegiâ, ut complures alios profligatum esse, Regemque æstuare sui odio, mentitus; cum in amnis cujusdam ostium (inde appellatum *Vna-ós*) applicuisset, tractum terræ, fluvio *Lagar-fliot* adjacentem, incolarum permissu occupavit, sibique vendicavit; mox fundato juxta portum *Vna-ós*, prædio. Sed fraudem nescio quo (nisi divino) indicio, præsagientes accolæ, contra eundem, rigidiores sese exhibuerunt; ut nec armenta, nec alia necessaria, vel magno oblato precio, ab ipsis impetraret. Quin neque occupato loco, ipsum frui, siverunt: Vnde, alio, nempe in sinum *Aalffa-fiörd*, ulteriorem, migrare coactus est: ubi neque tutò subsistens, ad virum satis nominatum Leidulfum Kappa, sub hiemis initium se contulit (qui prædium *Skoga hverffe* obtinuerat) ut domi ipsius tutior ageret, cui à viciniâ superiorum interdictum fuerat. Quomodo autem iste Leid: Kapperus, cognomini suo satisfecerit, (*Kappa*, enim dictos esse viros inprimis strenuos sæpius monitum est) mox exponetur. Erga hospites Leidulfus difficilem minime se gessit, & Vnerus cum 12. Lectorum virorum Sodalitio, totam hiemem exceptus est, perquam humaniter; Negotii sui, Regis nomine exequendo, anno subsequente, meliorem successum, sibi ipse pollicitus. Sed ut erat hic Circumcellio, ad probra & ignominiam natus, accidit vere jam ineunte, ut filia familias ex Vnero gravida depræhenderetur; ipseque sic fœdè violato hospitii jure, nihil sibi, quam certam & acrem vindictam promitteret, absente negotiorum gratia hero, clanculum se & comites subduceret: quem herus paulo post rediens, in loco *Flanga-stad* assecutus est: Cumque reus, ad stupratæ nuptias oblatas, domum reverti, recusaret; confertâ manu, aliquot comitum suorum cæde, ab irâ flagrante hero, mulctatus, atque invitus domum retractus est. Vbi animum, ad stupratæ conjugium mutatum simularet Vnerus & nuptias repromitteret; hero, ut fit, negotiorum causâ denuò absente, denuò Veterator, fugâ sibi consulere, non erubuit. Verum id propere rescíscens herus, properè, & hostili tandem animo, & puellæ, & hospitii, & datæ nuper

nuper de Nuptiis, fidei violatorem improbissimum, insectatus, eundem, cum lectis suis sociis (in quorum præsidio spem habuerat) à priore conflictu reliquis, manu & furore, justoque dolore armatus, commerita strage, ad fodinas *Kolgraffer*, homo solitarius delevit: Nec ad hunc Impostorem comprimendum aliis Islandiæ Magnatibus, opus esse Leidulfus voluit, vel etiam ad hanc Comati legationem pro merito, confundendam. Ipse autem Vnerus, præter Leidulfi ex filia nepotem etiam duorum locorum nomina propria, *Vna-ós* & *Vna-lækur* ad sui memoriam reliquit. Porro Leidulfus, aliâs aprolis, nepotem suum Vneri filium, ex asse hæredem constituit. Omittendum hic non fuerit; quod quidam tradant, Vnerum de quo agimus, filium fuisse Gardari, secundi illius Islandiæ repertoris; cui forsan inde Comatus persuaserat, aliquid juris ipsi esse in Islandiam, & stultus crediderat, fatis cooperantibus, se id juris per dolum obtenturum esse, sed ô miserum jus! Attigit Islandiam Gardarus, incoluit aut occupavit nunquam.

SECT. 21. Thorkillus. Sed jam ad veros Islandiæ inhabitatores redeundum, ubi hac Sectione Thorkillum obvium habemus; occupato sinu *Niard-vviich*. prosapia in Manuscr.

SECT. 22. Veturliderus Patre natus Olao *Láng-háls* (oblongâ cervice) occupavit sinum *Borgar-fiórd*. prosapia est in Manuscr.

SECT. 23. Thorstenus *Skegge*. Occupavit portum, longè alium, longeque dissitum ab eo, qui fuit supra eodem nomine. Sed & *Thorst-Skegg*: *Husa-vviich* vocatum est prædium; filius Arnerus; unde Hus-wiichensium familia.

SECT. 24. Thorerus *Liina*, i.e. Linea. Occupavit Sinum *Breidavviich*. Filii Sæmundus & Gunnstenus. prosapia in Manuscr.

SECT. 25. Lodmundus grandævus, Occupavit sinum *Lodmundar-fiórd*, ex provincia *VVors* & *Tulenes* [NB. *Tule-nes*. i.e. Isthmus Tulensis, propter eos qui nullam Tulen Norvegiæ concedunt] discedens. Triennio autem hic exacto, migravit in Islandiam meridionalem; habitavitque inter *Haffurs-aa* (ab *hircis*) & *Fula-læk* (aliàs *Iókúls-aa*, per deserta *Sol-Heima sand* decurrens) prædium ibidem *Lodmundar Hvammur*: hodie *Sol-heimar*.

SECT. 26. Eyulfus Bialferus, Lodmundi necessarius, Occupavit *Skeidis-fiórd* Sinum; elocataque filia Atlero rama (antea expositum est) dotem addidit, *Skeidisfiardar-strónd* borealem, usque *VVest-dals-aa*. Bialferi filius Isolfus patri in *Skeidis-fiórd* successit; unde Skeidis-firdingorum familia.

 SECT.

SECT. 27. Eyvindus occupavit ſinum *Mióa-fiórd* (ab anguſtiâ) quem poſtmodum vendidit Thorchetello cognomine *Klaka*. Hinc orta eſt familiâ *Klóku-ætt* dicta.

SECT. 28. Eyulfus ruffus occupavit *Nordur-fiórd*, prædium *Nas*, filius Olaus.

SECT. 29. Freyſtenus *Fagre*. i. e. Venuſtus, Occupavit *Sand-vviich, Bard-nes* & *Hellis-aas*. Vnde Sand-wiichingorum, Miofirdingorum & Hellis-aaſingorum familiæ numeroſæ.

SECT. 30. Thorerus *Haffe*. i. e. procerus. Ex Norvegiæ ante memoratâ provinciâ *VVors* [*VVorſar* ejuſdem inhabitatores] in Iſlandiam concedens, Occupavit *Kroſſa-vviich*, inter *Gierpis* & *Reidar-fiórd*. Hinc Kroſs-wiichingorum familia.

SECT. 31. Krumerus occupavit Iſthmum *Haffra-nes*, uſque *Thorunes* & *Sudur-eyar*, cum perexiguis litori adhærentibus inſulis, pecorum paſtui ſolummodo idoneis, & loca ad Septentrionem reliqua. Hinc Kryſlingorum familia.

SECT. 32. Væmundus grandævus occupavit *Faaskrúds-fiórd*, filius Olmodus, ex quo Olmædlingorum familia deſcendit.

SECT. 33. Thoraldus grandævus. Delubri præfectum in Norvegiâ ille egerat, provincia Mœre, qui cum in Iſlandiam aſpiraret, ante abitum, Delubrum diruit, iſtiuſque Atlantes atrienſes, cum terrâ ex pariete defoſsâ (non enim lateribus, verum ceſpite, parietes conſtabant) ut ſacratiore, ſecum aſportavit, quippe, ut terrâ tali, poſtibus, alterius Delubri, ubicunque locorum extrueretur, ſuppoſitâ, ad futuræ ædis conſecrationem, aliquid conferret. Vſque adeo eſt demiſſi Spiritus, Superſtitionis Numen, ut viliſſimum quemque terræ pulverem; imo pulveris aut terræ pugillum; Fidei Chriſtianæ objectum faciat. Occupavit Thorhaldus, ſinum *Stodar-fiórd*, ex quo Stodfirdingorum familia.

SECT. 34. Hiallterus. Occupavit *Kleiffar-lónd*, & vallem *Breiddal*, filius Kolgrimus numeroſæ familiæ parens.

SECT. 35. Bergulfus occupavit uſque *Hvalnes-skidna*, verſus Septentrionem, Vnde Waplingorum familia.

SECT. 36. Bergulfus alter, Brynulfi ſupra memorati filius. Occupavit *Hey dalalónd*, infra *Tinudals-aa*, uſque *Orms-aa* verſus Septentrionem. Filius Oſſerus, unde Breid-dalenſium familia.

SECT. 37. Skiólldulfus occupavit totum tractum, à *Gnúps-aa*, & è regione, uſque Oſſam, prædium *Skiólldulfs-nas*, ad amnem

amnem *Fagradals-aa* positum, filius *Haleygur*: unde *Haleygia ætt.* i.e. familia.

SECT. 38. Thorderus occupavit primum *Breid-dal*, sed à Brynulfo, inde ejectus, occupavit sinus *Beru-fiórd*, (ab ursâ) ripam Septentrionalem & *Búlands-nes*, versus meridiem, & ex adverso *Rauda-skridur* usque. prædium *Skalaa*. Hic Berufirdingorum familia.

SECT. 39. Biórno, cognomine *Svidin-horne*, ab adusto cornu. Occupavit *Aalffla-fiórd* Septentrionaliorem (sunt enim duo ibidem, eodem nomine sinus, ab oloribus vel cycnis denominati) supra *Raudaskridur*, Item vallem *Svidhorna-dal.*

SECT. 40. Thorstenus *Trumbu-bein.* Ingrata est nominum & cognominum Etymologica expositio, quoties denominationis ratio, afferri non potest, ut hoc loco & alibi. Quamvis teneamus quod trumba significet; nempe tympanum, duobus bacillis pulsari solitum [*ein trummen Germ.*] & *Bein*, Os vel Crus; tamen ratio latet hic, & sæpissimè alias, unde & cur ita cognominatus sit, unus & alter, ut hic præsens Thorstenus. Fortassis autem quia tympanite, crura ipsi laborârant, & pulsata tympani sonum ediderant (quod tamen in ventrem potius cadere tympaniticum existimamus, quam pedes, aut brachia.) Sanè quomodo crure, tympanotribas repræsentare quiverit, non conjicio; & rationem cognominis, potius ignoratam, non invitus, aliis relinquo. Occupavit interim ille, quocumque demum modo tympanizans, inde à *Leiru-vog*, usque *Hval-nes-skidna.* filius Kollerus *graae*, quasi cineraceo faciei colore; Nepos Thorstenus; pronepos Thorgrimus de *Borgar-höffn*, pater Stenunæ, nuptæ Gyssero Schalholltensi Episcopo. Alibi enim annotatum est primos Schalhollt: Episcopos, in Islandia, conjuges fuisse. usque ad Thorlacum Runulfi F.

SECT. 41. Rollaugus Rógnvalldi Mæra Ialleri F. Crymogæa lib. 2. gen. 15. Occupavit *Horna-fiórd*, inde ab *Ostur-horne*, i.e. termino insulæ Orientali, usque ad *Kviiaa*, prædium *Skards-beckur.* In eodem autem prædium postmodum habebat *Breida-bolstad.* quasi latifundium dicas, cujus vicinia *Fliots hverffe* dicitur. Hujus viri prosapia, Magnatum Islandiæ familias, majorem in modum auxit, quarum series, annalibus continetur. In his est Sæmundus *hinn Fróde*, Arrias *hinn Fróde*; uterque officio Sacerdotis laudatus; uterque Annalium N. Historiæque Norveg. cum Isleifo primo Insulæ Episcopo,

ſcopo, necnon Snorrone Sturlæ. Fil. Iſlandiæ Nomophylace, concinnator, cum compluribus aliis, alias nominatis, ex quibus Hauko, ſui temporis Nomophylax, meo judicio palmam tenet. Hos nempe Authores habent Annales noſtri & Norvegici; Majorum ſuorum monumentis, relatione, & diligenti obſervatione; de Rebus Noſtrat. & Norveg. ſatis edoctos, qui tamen Annales hodie adeo parvi fiunt à quibuſdam; ut exterorum conjecturis, incertiſque & variis imaginationibus poſtponantur.

SECT. 42. Chetellus, dictus Rollaugus, alio concedens, vendidit loca, ad ſinum *Horna-fiórd* habitata, cuidam Chetello Norvego. prædium ipſi *Medal-fell*, ex quo Hornfirdingorum familia.

SECT. 43. Aunundus, ruffus. Huic diſcedens Hrolleifus etiam vendidit tractum ab *Hómrum* uſque *VVidaa*, prædium ſibi ille fecit *Hoffs fell*, ubi & Fanum eximium locavit, more illius ſæculi; & eſt facile obſervatu quod prædia, quæcunque ab *Hoff* nomenclationem traxerunt, eadem Fanum, ſive Delubrum, Deaſtris conſecratum & dedicatum habuiſſe adjunctum. Ex hoc Hoffs-fellingorum familia.

SECT. 44. Thorſtenus *Skialge*, Accepit à Rollaugo ſæpius dicto, agrum *Myrar*; nempe à *VVid bord*, uſque *Heinabergs-aa*. Filius Veſtarus. ex quo Myramannorum familia.

SECT. 45. Vlfo *Hinn VVorske* Quod ex Norvegiæ provinciâ *VVors*, adveniſſet; is à Rollaugo redemit agrum, (latiſſimè enim Rollaugus ille occupaverat) inde ab *Heinabergs-aa* uſque *Borgargierdis-mvvla*. *Heinaberg* autem nomen traxit, à cotibus, quæ rupe quadam, ſui generis, inde diſſectæ promebantur. prædium Thorſteno *Skala-fell*.

SECT. 46. Eyvindi *Eikekróks* filius Thorderus. Sonat autem *Eikekrokur*, uncum quernum vel querneum, in litore *Breidaar-ſand*, naufragus factus Thorſtenus, abs Rollaugo habitandi locum nactus eſt, à *Iókuls-aa*, uſque *Kviiaa*, prædium *Fell*. Situm ad amnem *Brei-daa*. proſapiâ in Manuſcr.

SECT. 47. Aſbernus *Heyangurs-Biarna*. Baronem in Sognhe. Norvegiæ patrem habens; ſolvit quidem ex Norvegiâ. Sed fato præventus. Iſlandiam non attigit. Verum conjunx ipſius, cum relictis tribus filiis, occuparunt latum tractum. *Ingúlffs hóffda-hverfe*, prædium *Sand-felli*. ex quorum fratrum Gudlaugo, Sandfellingorum familia; ut & Knappfellingorum ex Thorgiſello; ſimiliterque ex Oſſu-

ex Osſuro, fratrum tertio) familiæ numeroſæ deſcenderunt.

SECT. 48. Helgo dicti Asberni frater, occupavit *Rauda-lak*, à quo prædio, familia ex Helgone deſcendens denominata eſt.

SECT. 49. Horderus, Baronis Soghnenſis, qui fuit Sect. 47. filiorum tertius, occupavit poſt Barderum, vallem *Bardar-dal*, in Iſlandiâ boreali, unde factus eſt poſtea Iſlandiæ Orientalis incola. Ex Hórderi 12. filiorum albo, Thorgrimus filium reliquit Geironem de Lundun, cujus pronepos Thorkillus fundavit Cænobium *Thyckva bæ*.i.e. conferta habitatio.

SECT. 50. Eyvindus *Karpe*. Occupavit inter *Almanna fliót* & *Geirs-aa*, ab Occidente montis *Medal-fells-gnup*. proſapia in Manuſcr. eſt ſatis prolixè exhibita.

SECT. 51. Chetellus *Fiſlske*. i.e. ſtolidus. Nomine magis & titulo, quam re ipsâ, ex Hebridibus (*aff-Suder-óen*) Scotiæ, huc delatus. Verum Chetello Simo, Norvegiæ Magnate nominatiſſimo, natus hic Chetellus, verè Norvegus fuit. Occupavit inter *Geirland* & *Fiardaraa*, prædium fecit *Kyrkiu bæ*; hodie & poſtea Cænobium; cujus numeroſam & nobilem proſapiam, Manuſcr. exhibet. Hoc loco ſive litore, Irlandiæ an Scotiæ piſcatorum, quos Papa Iſlandi vocavere monumenta, (non quidem domuum, aut habitationum, vel culturæ veſtigia ulla, ſed Chriſtianæ Religionis, qualis fuerat illorum temporum, utenſilia quædam; utpote nolas minutulas, cruces ligneas, aut alterius materiæ; quid ſi etiam libellum unum vel alterum, cujuſmodi quandoque nautæ aſportare ſolent) reperta eſſe, Annales non diſſimulant: quod alibi & toties memoratum eſt. Quod exemplum ſingulare eſt & unicum, in totâ primum occupatæ, primumque habitatæ inſulæ hiſtoriâ. Neque idcirco inde una hirundo ver facit, tam amænum quam hinc quidam ſomniaverunt; ut ſcilicet propterea, ante Norvegorum adventum habitata eſſe aut fuiſſe, Iſlandia ſtatui poſſit aut debeat.

SECT. 52. Bódmódus Occupavit inter *Fiardar-aa* & *Drüffanda*, prædium *Bódmóds-tunga*, filius Oleifus, à monticulo *Oleiffs-berg* dictus eſt; cujus prædium *Hollt*, proſapia in Manuſcr.

SECT. 53. Eyſtenus *Digre*. i.e. craſſus, corpulentus. Ex *Sunn Mære* Norvegiæ. Occupavit ad Orientem amnis *Geirlands-aar*. Prædium *Geirland*; filius Thorſtenus de *Kielldu-gnup*.

SECT. 54. Eyſtenus Hraneri Hilldis filius, relictâ Norvegiâ, ab Eyſteno Craſſo, redemit agrum *Medal-lónd*, prædium *Skard*.

 filiam

filiam Thorsteni de *Kiélldu-gnup*. Thordiisam habuit uxorem; illorum filius Hillderus, cujus monumentum visitur; juxta Kÿrkuibæ, *Hilldis-högur* dictum.

SECT. 55. Bilbalderus. Ex Irlandiâ iste adventans, appulit in ostio amnis *Kúda-flióts-ós*. Occupavit tractum Tungu-lónd, inter *Hólm* & *Skaptaa*, prædium *Bvvland*. prosapia pauca.

SECT. 56 Leidulfus *Kappe*. Ejusdem, cum illo, Vneri hospite, supra recensito, nominis & cognominis, sed prosapiâ huic numerosâ; illi præter filiam unicam negatâ, differunt. Occupavit ad Orientem amnis *Skaptaa*, usque *Druffanda*, prædium *Leidúlff-stad*, ad montem *Leidulffs-fell* positum.

SECT. 57. Isulfus *Land-náma-tiid*, Nostrates vocitarunt spatium 60. annorum, quo suis incolis, inde ab anno 874. Islandiam repleri contigit; â *Land*. i. e. terra, & verbo. *eg nem*. i. e. accipio vel occupo. Quâ annorum periodo jam prope exactâ, hic Isulfus, in Islandiam devenit. Cumque habitandi locum, promptum & commodum non inveniret; ad monomachiæ legem, de quâ supra, confugit, dictumque modo Bilbaldum, ad certamen singulare provocavit, ut ipsius prædio, bonisque aliis, Victor potiretur. Cæterum Bilbaldo monomachiam recusante, Isulfo voti facto compote, ejusdem prædium *Bvvland*, Victori cessit, ut reliqua Bilbaldi omnia. Nam victus & monomachiam recusans, eâdem, consuetudine stabilitâ, monomachiæ lege tenebatur. Et de Bilbaldo præterea nihil, quod sciam, memoriæ proditum est; & incertum, utrum is pietate (siquidem Christiani audiebant Irlandi) an væcordiâ, certare recusaverit. Quidam ex nominis proprii etymo, væcordiam colligunt; *Bil*, primâ scilicet syllabâ, Bil enim nostrâ linguâ, separationem & divisionem notat; & bona vel possessiones ipsius, divisæ, divulsæ & separatæ, atque alienatæ sunt, â suo Domino, propter væcordiam, quam eruunt ex verbo, *Aabila*. i, e. animo dejici, vel viribus defici, aut aliis rebus etiam; ac proinde, alteri cedere, & resistendi animum abjicere. Sed mihi persuasum erit, Bilbaldum nostrum, utpote voluntatis Divinæ notitiâ, imbutum, iniquæ monomachiæ legi cessisse. Sed valeat aprosdionuson hoc. Filius fuit Isulfo Hranerus de *Hrana-stad*, & Thorberga filia, cujus neptim conjugem accepit Thorarinus *de Höffda*, Olveri filius. Bilbalderus postquam Isulfo cedere coactus, desedit inter *Holms-aa* & *Kúda-fliót*.

SECT.

SECT. 58. Raffnerus *Haffnar-lykill.* Cognomen est à portu, & clave; quod, cum insignis fuerit pirata, portum ubique commodum inveniret, & aperiret. Occupavit inter *Hólms-aa* & *Eyraraa.* prædium *Dynskógar*; unde concessit in *Laagey*: præsagiebat enim incendium montanum, priore occupato loco brevi secuturum; cui eventus respondit. Laagey-Ingorum ex hoc sunt familiæ.

SECT. 59. Gnuperus, cognomine *Mollda-gnupur.* Patre natus Rolfone, in Mœre Norvegiæ. Loci nomen ibidem *Mollda-tun.* ex quo hic & fratres reliqui, cognominati sunt. Occupavit inter Fl: *Kudafliót* & *Eyraraa*, tractum *Aalffla-ver*, vocatum à cycnis; quibus stagnum ibidem abundabat. Prosapiam locupletem habet Manuscr. ex qua filia memoratur, nupta Thiostaro, de *Aalffla-nese.*

SECT. 60. Gunstenus, Thorsteni Drauga-kalleri filius; Relictâ Halogiâ Norvegiæ, in litore Islandiæ Orientalis fecit naufragium, lignis quibus navem onustam habuit, insigniter læsus. extruxit tamen prædium *Fagra-bæ.* anum autem quandam, inter naufragii tabulas, undæ in sinu *Kerlingar-fiórd*, ab anu sic appellato, in litus ejecerunt.

SECT. 61. Olverus Thorsteni modo dicti F. Occupavit latus Orientale amnis *Grims-aa.* prædium *Hóffde.* prosapia in Manuscr.

SECT. 62. Sigmundus. Occupavit inter *Grims-aa* & *Kerlingar-aa*; in cujus prosapiâ tres Episcopi Islandiæ claruerunt.

SECT. 63. Bióрno *Offlate.* i. e. ornatui deditus. Etiam *hinn Audge*, cognomen habuit. i. e. opulentus. *Audur* vernacule, nomen est singulare, collectivum, plurali defectivum; notat omnis generis opes & divitias. Hic Offlaterus, relictâ Norvegiæ provinciâ *VValldres*, ad Islandicam coloniam se demisit, loco inter *Kerlingar-aa* & *Haffurs-aa* occupato. Prædium *Reyne*: in cujus posteris Thorlacus Episcopus *Skalhollt* eminuit, cui posteri Divorum apotheosi litarunt. Tantum de Islandiâ Orientali; ad cujus calcem repetitur mentio Lodmundi grandævi, qui fuit superius; ejusque prosapia distinctius in Autographis explicatur; quam qui volet petat indidem. Tantum etiam de reliquarum insulæ Quartarum Chorographiâ afferre visum est. cum tamen possint plura afferri; nisi Lectoris patientiâ abuti ulterius religio foret.

PRIORIS PARTIS SPECIMINIS
EPILOGVS.

SIc itaque Historiam & qualemcunque Chorographiam, Islandiæ primum habitari ceptæ, (pro præsenti instituto, & speciminis modulo) delibavimus: hoc fine; qui ad fastidium usque jam iteratur; ut luce clarius meridianâ liqueat; eandem hanc Islandiam desertam, & habitatore, imo & habitationum ruderibus, undique & ubique vacuam fuisse, à Norvegis, Anno Christi 874. primo occupatam; non quidem subito, ac simul & à multis unà: sed in eâ occupandâ totâ, vel totaliter, totos 60. annos, fuisse consumtos; idque ut dictum à Norvegis; intermissis aliis, quam Norvegis, sed perpaucis; iisque fere ex Norvegiâ, originem suam vel ortum repetentibus: unde tamen Islandia nihilo fecius, Norvegorum colonia dici mereatur; ut in fumos idcirco abeat, quorundam conjectura, nullo veritatis argumento (quod parte II. disceptabitur) suffultâ; de Islandiæ habitatoribus Norvegis anterioribus.

Illud vero de terrâ hac, ad Norvegorum usque adventum; & ad Annum Christi toties inculcatum, desertâ & incultâ, vel inde constabit: Quod Nemine obstante, hunc vel illum locum, tractum, litus, agrum, montem, planitiem, vallem, sinum, &c. de suo vel amicorum & popularium, consilio, voluntate & permissu, pro lubitu, occupandum acceperit. Quod si jam insulam, ab aliis occupatam deprehendissent; nunquam tam facile & nullo negotio, eâdem potiti fuissent, prioribus incolis, pro aris & focis depugnantibus. Neque enim huc classe aliquâ validiore, delati sunt Norvegi, quasi Veteres insulanos, vi & armis expugnaturi; sed successivo 60. (ut satis monitum jam est) annorum curriculo, vix unâ, aut alterâ quandoque (sed rarissime) naviculâ usi. Annis, inquam, successivis, prout ab Haraldianâ violentiâ (aut aliunde interdum) patriâ exulandi, occasio sese obtulit. DESERTAM itaque Islandiam; ac Incolis prorsus Vacuam, Norvegi primi occupaverunt; & in quâ hominis, nec vola, nec vestigium, (ut vulgo dicitur) apparuit: per volam ædificia, vel ædificiorum saltem ruinas & rudera; per vestigium vias, & itinerum ductus, ac semitas, intelligimus. Domus enim & ædificia, in solo adhuc rudi (ut sic loquar) ac inelaborato, atque inexculto, excitanda tum primum & erigenda

erigenda fuerunt. Via publica etiam tunc primum facienda, & exciso passim nemore (habitationum quoque ponendarum loco) & alibi saxoso solo, delapidato, aperienda: id quod ex superiori narratione, satis colligitur (licet propter tautologiam, parcius attingatur) adeo; ut illa Pontani conjectura, de Veteribus vel prioribus incolis, à Norvegis, in Islandiâ, depræhensis: aut intermortuis, aut alioqui imminutis, paginâ Magni Operis 755. Sed Historiâ RR. Dan. (quo ad 1. tomum) antea absolutâ, & peculiari tractatu, & separato (nisi quantum ad paginarum numerum, quod in proœmio monitum) De Tule, aliisque insulis Boreal: &c. penitus expiret; & locum habere nequeat. Quæ cum sole clariora sint „ meridiano, concessionem ejusdem, pag. 754. acceptare non „ possum; dicentis: Arngrimo, interim haut illubenter conce- „ demus, si lingua Gentis, aliaque respiciantur, Norvegiæ præ- „ sertim coloniam esse Islandos; sed ANTIQVISSIMIS „ temporibus, eo deductam. &c. Et quidni Antiquissimis? siquidem cum Tule, Pythiæ Massiliensis, eadem sit Islandia; ut ipse vult Pontanus. Itaque concessionem, tali Antiquitate determinatam, ut dixi, non acceptamus, de qua sub finem 2. partis plura. Concessione sanè & veniâ tam D. Pontani, quam omnium Eruditorum, in aliis quam plurimis, opus esse mihi agnosco, & ingenuè fateor: hoc autem loco — *Veniam quæ datur; ipse nego.* Quam si acceptem vel amplectar, prout D. Pontani, appositis jam verbis circumscribitur, Annalium domesticorum & Norvegicorum, quidam Proditor, & propriæ sententiæ destructor extitero. Quin potius in Divinæ Clementiæ & Providentiæ laudes, effundi nos debere censeo; quæ Majores nostros, sedibus in Norvegiâ avitis, jam extorres, huc transponi, & in Gentem sic excrescere voluit Islandicam; eique in terrâ desertâ, sive anteà nunquam excultâ vel habitatâ, necessaria vitæ subsidia, mirabiliter procuravit. In hujus patris & procuratoris, laudibus, inquam, nos occupatos esse, sedulo convenit, & hymnum Gloriæ ipsius canere. Tantum abest, ut Insulæ nostræ SOLITVDINEM quam ex nostris Majoribus, primi Incolæ, experti sunt; vel TACERE, vel in NEGANTIVM Castra, transire, vel ad aliorum CONIECTVRAS incertissimas, infirmas objectiones, & addubitationes CONNIVERE, fas nobis vel integrum esse, ducamus. Ne quando ut ingratissimi Hebræi olim, tam liberationis Ægyptiacæ, quam 40.

Annorum deserti, ac simul tot & tam mirandorum, ibidem cumulatè, acceptorum à Deo beneficiorum subinde obliti, Vatem Dei, quid tale, ac illis, occinentem & exprobrantem, audire cogamur; Quando de illis locutus, ait: *Non dixerunt; ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti? qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem, & inviam, per terram sitis [aridam] & imaginem mortis, & terram in quâ non ambulavit vir, nec ambulavit in eâ homo. &c. Ierem. 2.*

Hujusce increpationis declinandæ gratiâ, primum Misericordiam & benefacta Dei erga Israëlitas; sic quoque erga Majores nostræ Gentis, agnoscendo, nobisque applicando; deinde hymnum eucharisticum, tam benigno Numini dicendo, nos accingamus. Mirandum siquidem Dei opus est, quod qui potentioris, Haraldi nempe Comati, subditorum omnium bonis ac fortunis (imò etiam vitæ ac sanguini) inhiantis, offensam plenam incurrissent; seque & suâ tutari volentes, eidem justo conflictu, in acie Regulorum Norveg: aliorumque Magnatum, Comato sese opponentium, restitissent hostiliter; ipsius & crudelitatem evitare, & salvis effugere concessum sit. Quod ipsum, si isti olim Majores nostri, Divinæ Providentiæ, ah! nimis ignari, minus agnoscere potuerunt; nos tamen Spiritu Dei rectius edoctos, confiteri, admirari, & animo ac corde, Liberatorem, devotissimo & gratissimo, deprædicare, æquum & justum est. Non conjuraverunt unà omnes in navigationem Islandicam nec jam semel devicti, conspiraverunt adversus tyrannum, ut ipsi detinere eosdem volenti, ulterius negotium facesserent: Sed singuli seorsim, singularum familiarum viri Principes, pro se suisque, consilium è re natâ capescebant; non unà & simul (quod jam intelligi volumus) Patriæ valedicentes.

Transtulit itaque Gentem nostram Altissimus, licèt non turmatim (ut illos ex Ægypto) de Servitute Norvegicâ: non quidem jam tum multorum annorum; sed eadem jam jam ingruente, ut relicti Sympatriotæ, experti sunt gravissimâ: nec per sinum maris Ærythræi, divisis aquis & sicco vestigio transeuntem; ast per immensum & insanum Oceanum, navigiis vectam minoribus (posterioris ævi respectu,) idque sine amusió, & pyxide nauticâ, vel gnomone Magnetico, huic orbi nondum cognito; sine antliâ, ad sentinandas (ut Festi verbo utamur) naves, nondum his inventâ hominibus; quorum utroque, si nautis hodie carendum foret, quo non

non implicarentur errore? quo non labore, citius quam aquâ marinâ, ipsæ naves exhaurirentur? Habuit hoc sæculum, & hic orbis, naves non constratas, sed apertas & sine pergulâ, unde navigium, tanto plus aquæ marinæ, necessario inbiberat: ad quam, ut dixi exhauriendam, non antliæ, sed urnæ vel urcei usus, ab annis antiquis invaluerat. Quam sentinandi rationem alibi exposui, & exemplo docui, sumpto ex vita Thormodi Kolbrun-Skällderi, inter Senatores Olai Sancti Regis Norvegiæ. idcirco hic non repetendam. Sanè in præseptissimo tempestatum marisque periculo, iste exhauriendæ sentinæ labor, non parvo constiterat. In 60. vero annorum navigatione Islandicâ (tot enim in coloniâ traducendâ exactos diximus) vix unum aut alterum factum legitur naufragium: ast submersio nulla; nec error aliquis, in æquore vastissimo notabilior, tanta profecto navigationis felicitas, miraculo carere, non existimanda est. Hic jam excipio navigationes negotiatorias, ex Islandiâ in Norvegiam, Gronlandiam, Angliam &c. factas; quæ cum navigationibus primas colonias introducentibus, non sunt miscendæ, utpote aliud aliquando fatum expertæ; ut manifestius appareat, primarum coloniarum successus, singulari Dei favore directos esse.

Traducti itaque sunt advenæ Norvegi, æquore superato (quod toties iteratum non omitto) primum in DESERTAM, deinde per DESERTAM hanc terram, dum suæ quisque habitationi, locum idoneum dispiceret; à propitio, præsente, providenteque mirabiliter Numine; traducti, inquam, sunt in terram, non quidem Inhabitabilem (ut istic Israëlitæ) sed antea habitatam nunquam ac primum imperviam; dum itinera publica, & via pervia fieret: eoque difficulter habitabilem. In terram minimè aridam, (quæ Israëlitis erat terra Sitis) quum aquæ plus satis suppeteret: sed algidam & frigore concretam, mensibus plærumque hiemalibus: atque ideo, si cum aliis mundi plagis, mitiore cœlo gaudentibus, conferatur; per umbram, vel imaginem mortis. Denique in & per terram, in qua non ambulavit vir, nec habitavit in eâ homo; quæ fere omnia & singula, ad veterem Deserti Israëlitici conditionem congruunt, nisi quod hic, totos à primo ingressu 767. annos. [hoc Anno 1641. labente] de omnibus vitæ necessariis, Genti Islandicæ, si non ad voluptatem, aut omnium ac singulorum, votum ac voluntatem, tamen ad sufficientiam, paterna Dei benignitas, propexerit. Quare jam de gratiâ & laudibus, nomini dicendis Altissimi.

ad habitandum

tiſſimi cogitandum, & cum Sancto Dei Vate canendum nobis erit.

Cantate Domino Canticum novum (& nunquam antiquandum) *Cantate Domino omnis terra: Cantate Domino, & Benedicite Nomini ejus. Annunciate de die in diem ſalutare ejus; Annunciate inter gentes gloriam ejus; in omnibus populis mirabilia ejus* Pſal. 16. Item *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Dicant qui redempti ſunt à Domino; quos redemit de manu Tribulatoris* (ut Noſtros Gentis Iſlandicæ conditores) *Confiteantur Domino, pro miſericordiâ ejus, & pro miraculis ejus, in filios hominum.* Pſal. 107. Et iterum. *Venite exultemus Domino quia in manu ejus ſunt abſcondita terræ* [valles] *& altitudines montium ipſius ſunt. Ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus ejus formaverunt. Venite, & adoremus & procumbamus, ante Dominum, qui fecit nos.* Pſal. 95. Rurſus, *Confiteantur & ſacrificent, ſacrificium laudis, & annuncient opera ipſius in exultatione, qui deſcenderunt in mare navibus; ipſi viderunt opera Domini, & Mirabilia ejus in profundo. Lætati ſunt; quia ſiluerunt, & deduxit eos, ad portum voluntatis eorum: & Benedixit eis, & multiplicati ſunt valde, & Iumenta eorum non imminuit.* Pſal. 20.

Metuamus itaque ô Gens Iſlandica, & corde ſincero redamemus Dominum Deum noſtrum, tam clementem & munificum; nec mirabilia ipſius, apud nos exoleſcere, aut aliorum diſſonis relationibus, Mirabilia hæc extenuantibus, nobis vileſcere, vel eorum memoriam, apud nos concidere patiamur. Quæ, quum magna ſint omnia, Maximum tamen & nulli comparandum, Miſerentis Dei donum agnoſcamus, amemus, proclamemus; quod nullo obſtante; aut quia Gens hæc barbara, aut longius à felicioribus terris & populis remota ſit; Eccleſiam Sanctam hic colligi, & hactenus conſervari jubeat. Quam patris cæleſtis beneficentiam, ſi oris & ingenii vis ſuppeteret, amplificando extendere, merito obſtrictos agnoſcimus.

Nunc voluntatem & affectum, pro facto ſive effectu, ſibi non diſplicere, Deus noſter faciat, quibus poſſumus votis & modis, ipſius clementiam obſecramus. Atque ſic ad partem II. Speciminis accingamur. Si tamen prius illud addatur & attendatur: Minorem longe eſſe hunc Colonorum & habitationum, primis 60. annis, fundatarum, numerum, eo, quem completa Chorographia poſcere videatur, ac exhiberi curioſius poſſet; unde has pagellas, non Chorographiæ, ſed Speciminis Chorographici titulo inſcripſi; ejuſque

ejusque non absoluti, ast aliqualis & imperfecti; nam accuratior Chorographia, nulli foret usui; nec à quoquam, nisi totam Insulam pervagato & perlustrante confici poterit. Quum interim, præter æstatis aliquam partem, reliquum anni tempus, ob cœli inclementiam, ad eam & itinera, non sit idoneum, sintque ad talem peregrinationem, magni sumptus faciendi, magni labores & pericula subeunda; maximæ vero molestiæ devorandæ. Mea igitur intensio hæc fuit; Litus Insulæ (siquidem per t. non geminatum, extra metrum, emendatius scribendum esse, Recentiores nonnulli monent) & loca præcipuè maritima, primum occupata, delineare; illâ scilicet Veterum, quam nancisci potueram Chorographiâ; quamvis etiam valles, & montana quædam loca, ac mediterranea, intercurrant. Quota verò hæc pars sit ex Colonorum numero, qui circa Annum Christi 1090. Gyssero Episcopo Schalhollt, censi sunt; In meridionali Islandiâ videlicet 1000. In Occidentali 1100. in Boreali 1200. In Orientali 700. eorum tantum, qui tributo Regi N. Solvendo tenerentur, facultatum suarum, certâ lege & ratione, definitorum; omissis pauperioribus (ac interim Colonis) facile æstimatur.

SPECIMINIS ISLANDIAE.

PARS II.

Emensus huc usque Oceanum truculentissimum, inque Islandiam, penitus incultam, traductâ quasi prioris Partis narratione, Norvegorum coloniâ; primorum incolarum singulis, sedes distribuendo & assignando: tempestivum jam duxi, in illorum sententiam inquirere, qui in hac historiæ Parte, contrariam nostris Annalibus fovent opinionem; in quibus primas tenet celeberrimus Historicus, D. Ioh. Isa. Pontanus (quod etiam fuit initio) honoris causâ, semper & ubique nominandus. Is tamen, quâ ratione, nostrorum simul & Norvegicorum Annalium fidem, de tempore habitatæ primum Islandiæ (ut hanc Thulen esse convincat) elevare, meæque narrationis Fundamentum, in N. CRYMOGÆA, jactum, subruere nitatur, pro virili expendere, operæ pretium erit.

Porro Æram Islandiæ, Anno Christi, 874. primum incoli ceptæ, celeberrimus Pontanus, evertere satagit. I. Veterum circa Thulen sententiis, de Islandiâ, suo Marte expositis, pluribus inde, à 745. paginis, Operi, separato tractatu, subjunctis, Historico. II. Deinde, quum satis perspectum haberet, Vir Clarissimus expositionem hanc suam, in Veterum sententiarum, de Thule, applicatione, ad Islandiam, variis fore obnoxiam exceptionibus, maturè sibi consulere voluit; Principum nempe, Imperatoris & Pontificis Rom. Diplomâta quædam, de Islandis & Grónlandis, aliquid loquentia, adhibendo: Sed Annis tantum 40. vel 41. veram Islandiæ, inhabitari primum ceptæ, Æram anticipantia. III. Mea quædam ex Crymogæâ adducta, magnâ Comitate & humanitate commentando; sed in suam sententiam trahendo, pugnam continuat. Quæ D. Doctoris Methodus, mihi retenta, servataque, Speciminis hanc alteram Partem, trimembrem faciet. Ubi potissimum obnixè peto, uti Vir Clarissimus, quâ præ multis pollet humanitate & candore, balbutiei ignoscat meæ, quicquid in diversam ab ipsius opinione, sententiam, hic continget afferri.

D. Pontani, in suo tractatu Method.

Distributio, II. Partis Speciminis.

PARTIS II. MEMBRUM. I.

Scriptorum circa Thulen Autoritates, à Pontano, ad Islandiam applicatæ, deque Islandiâ expositæ, bonâ D. Doctoris cum veniâ, adcuratius expensæ; idque eo fere, quo ab ipso sunt productæ, ordine.

Non tam stricte, circa Veterum, allatas à Pontano, de Thule sententias discutiendas, hoc Membrum occupatum est; quin etiam Recentiores, ad quæstionem principalem adhibeantur decidendam: utrum videlicet Thule & Islandia, unam eandemque constituant Insulam? hæc enim Helena est belli: hocque contentionis bene annosæ, pomum; ast Veteribus illis ignotæ; ac Adamo Bremense, vix aut minime antiquioris. Nec enim repperi, qui ante ipsius ætatem, Thulen fecerit Islandiam, neque ullum talem interpretem, ex Recentioribus, Bremense superiorem Clariss. Pontanus adduxit; adducturus procul dubio, si extaret. Quanti vero sit Bremensis, de hac controversiâ autoritas, infra videbimus, ubi ad ipsius ætatem ventum erit; quæ tamen D. Pontano adeò placuit, ut ad ipsius mentem, omnes Thules descriptiones Veterum, referre visum sit; ut ut dissonas

Circa Annum Ch. 1067.

diſſonas & diſcordes. Quas pro modulo meo inſpicere (ut dictum) propoſitum eſt: non ut cuiquam ægrè aut malè faciam; ſed ut Patriæ Annalibus bene: nec ullâ re, niſi ſolo veri indagandi ſtudio, motus: Id quod, ut ſpero, non illiberalis fuerit ingenii, hinc tentare & experiri, illinc admittere ſive permittere.

Thule Pythiniana.

1. Hic itaque primum à Dn.D. Pontano, producta, occurrit Thule Pythiæ Maſſilienſis, Nocte Semeſtri, vel ſex menſium definita, teſte (de Pythiæ mente & aſſertione) D. Pontano & Plinio. Quod quum, experientiâ, & ipſo Pontano, teſtibus; de Iſlandiâ falſum fictumque deprehendatur, Thule Pythiniana non eſt Iſlandia. licet alioqui, Pythiæ patrocinium quoddam, cum Caſaubono (ejus autoritatem hic admiſcendo) contra Strabonem, Dom. Doctor ſuſcipiat. Ad Caſauboni vero autoritatem, ſcriptoris nobis ſynchroni, Thulen de Iſlandiâ explicantis; dicendo, Thulen non „ eſſe aliam, quam quæ hodie *Iſlandia dicitur, facile doctis viris* aſſentior: Reſpondeo, id eâdem fiduciâ negari, quâ aſſeritur; nullâ à Caſaubono ratione, ſui aſſenſus, niſi ſola Doctorum opinione productâ. *Dicam enim* æquè confidenter. Thulen eſſe aliam, quam quæ hodie Iſlandia dicitur, facile doctis viris aſſentior. Nec enim à meâ parte, viri docti & ſcriptores deſunt (quum is nullos nominet, citante quidem Pontano) ut Gul: Cambdenus; & à Cambdeno, ejuſdem mecum ſententiæ, aſſertores notati: videlicet Saxo Gr. (prout Cambdeno viſum, licet Pontano aliter; de quo forſan inferius.) Mylius, Crantius, Iovius, Peucerus. Præterea non nominati à Cambdeno, Munſterus, Ortelius. (nam de P. Ramo, & Ioh. Myrit: à Doctore Pontano rejectis, etiam infra) Præter hos etiam, nobiles Mathematici, P. Appianus, & G. Friſius, à D. Pontano præteriti; meæ, hoc eſt, negativæ ſententiæ, contra Pontanum, & Caſaubonum, (cum ſuis innominatis doctis viris) patrocinantur. Appianus quidem: Supra has (Orcades) inquit, eſt Thyle: cujus medium 23.20′. longit: & 63. 0′ lat. &c. mihi pag: 145. edit. Antv. Deinde pag. 147. Iſlandiæ (inquit) inſulæ ſitus: medium ejus, 7. 0′ long. 65. 30′ lat. &c. Nec Appiani Commentator Gemma Friſ. aliter. Apparet itaque, quam ſint his, etiam doctis viris, Thule & Iſlandia diverſæ. Vbi neque omittendum; quod parallelo XXI. per Thulen ducto, ab ipſo Ptolomæo, latitudo reſpondeat 55. gr. 36.′ ut ex dictis Mathematicis colligitur. Quantum autem hac lat: à latitud: Iſlandiæ diſtet, manifeſtum eſt. De his

Caſaubon. recentiſſ. autor, refellitur à pari.

Autores pro me ſentientes; cum Caſaubonus; & ex illo Pontanus; pro ſuâ opinione, nullos nominent. (priuſquam ad Bremenſis ætatem ventum eſt) ex recentioribus: & inde alios parcé.

P. Appia.

G.Friſi.

Ex Crymog. ſc.

L. de Nat. Deorum. his vero dicam, quod olim apud Cicer. Cotta Acad. de Physicorum „ quibusdam Theorematis, à se congestis, ait. Hæc ego nunc Phy- „ sicorum, (Mathematicorum, ego) oracula fundo, vera an fal- „ sa nescio &c. sciant & judicent alii. Ego licet per ætatem indocilis factus sum, libenter tamen auscultabo, suo autem illi non meo periculo, scripserunt. Interim non oblitus sum, quod pagina 754. „ Pontanus reliquit scriptum. Accedente potissimum, ait, Pto- „ lemæi delineatione, qui haut nobis alio posìtu, aliave amplitu- „ dine, Thulen depinxit, quam hodie visitur Islandia: & paulo „ ante pag. 753. Sane Thule. &c. cum insula sit non exigua &c. eo- „ que situ, parallelo & longitudine, cujusmodi hodie habere de- „ prehenditur Islandia &c. Cur esse Thulen magnopere negabimus „ Islandiam? Pag. 749. ait; Thulen Ptolomæi ad gr. 63. & ultra „ excurrere. Tum pag. 746. dicit, Ptolemæum, ducto per Thu- „ len parallelo, eandem in ultimo Oceano, quo hodie sita sit „ Islandia; quamvis insulæ Borealis tractus, ut ipsi (inquit) pro- „ dunt Islandi, est gr. 64. & quod excurrit &c. Ista, quæso, bonus ille Casaubonus, cum Appiano & Frisio summis Mathematicis, prius reconciliet; quam innominatorum autoritatem, aliis rationibus destitutus, pro Thule & Islandiâ, iisdem, nobis obtrudat. Ast ex nostratibus, quinam, Islandiæ Borealis, lat. gr. 64. tradiderint, hactenus non constitit. Quum Crymogæa gr. ferè 66. nempe 65. 44. exhibeat. De Ptolomæi autoritate, erit, suo loco inferius. Credibile autem est Appianum & Frisium, Ptolemæum evolvisse.

II Thule Pomponii Melæ. Nunc ad Thulen Pomponianam, de Islandiâ, à Pontano expositam, unico verbo Resp. videri nobis, nullâ id necessitate fieri: tum propter ancipitem lectionem, monente D. Pont. Belgarum pro Bergarum, ut illi placet, litori esse Thulen oppositam: tum propter invitum, modo quodam, paralleli ductum; Quod etiam candidè Pontanus agnoscit pag. 744.

III Thule Pliniana. Pliniana autem Thule, videndum penitius, quam parum ad Islandiam faciat; quum in hujus sententiâ & autoritate, ex omnibus Classicis, quos se producturum dicit, scriptoribus, Pontanus, maximum fiduciæ & præsidii, posuisse illum constet. Ego vero, cur

1. aliter sentiam I. primum est; quod nox menstrua à Plinio, Thulæ assignetur; cui ocularem experientiam, intrepidè opponimus.

2. II. alterum, quod hic inconstantior Plinius appareat: quia etiam noctem semestrem Pythiæ, facile Thulensi insulæ, concessurus

fuisse

fuiſſe videatur. Nam ſi diſplicuit; cur non refutavit? vel abnuit ſaltem? Qui tacet, conſentire videtur. Et quanquam nox menſtrua, à Plinio Thulæ aſcribatur, ſemeſtris non negatur. Diſparata ſunt iſta; non contraria &c. Horum autem utrumque, quum de Iſlandiâ ſit falſum (upilionum & bubſequarum ſuffragio) alterum vero, vel utrumque (includit enim ſenarius, vel ſemeſtre Pythiæ, unitatem, vel unum menſem Plinii) de Thule, verum; iiſdem autoribus Thule non eſt Iſlandia. III. Quod Thulen inſulis Britannicis Pli- 3
nius accenſeat, Iſlandia autem, toto Oceano remotior, harum numero non veniat; quod conſtat; etiam ſi omnis ævi, in inſulas Britannicas, Dominium & Iuris poteſtas excutiatur. IV. Quod Pli- 4
nius Scandiam, Dumnam, Bergas & Nerigon, inſulas Boreæ faciat. De quibus, pag. 745. tanto verius Pontanus inquit; Iam „ ante ſuo loco, ſatis oſtenſum eſt, nec Scandiam, nec Bergas, nec „ Nerigon eſſe inſulas &c. Qui claſſici ſcriptoris craſſiſſimus error, de terris magis notis, & vicinioribus ejus orbi, quantam, quæſo, vel quam certam cognitionem, remotiſſimæ Thules, (ſi hæc Iſlandia foret) nobis ſpondebit? & non potius affectum, ad res ignotas, atque incompertas deſcribendas, nimis pronum. V. Iam per 5
Nerigon Plinii, an ſit Norvegia intelligenda, det veniam Clariſſ. Pontanus, ſi cum Plinio quaſi agens, addubitem. I. Quia Nerigonem ſuam, Plinius, inſulam faciat; quod modo fuit. Atqui Norvegia, non eſt inſula, quod conſtat. Quomodo igitur Norvegia fuerit Nerigos? II. Quia Nerigona ſuam à Bergis diverſam faciat Plinius. Bergarum autem Ditio ſit pars Norvegiæ, & eamdem cum hac continentem conſtituat.

An per Nerigon Plinii, intelligenda ſit Norvegia?

Object. Sed favet huic ſententiæ (Nerigon denotare Norvegiam) vel maximè, nominis & appellationis ſimilitudo. Pontanus pag. 671. *Reſponſ.* Verum propter nominum alluſiones, non vult D. Pontanus, licuiſſe Scaligero, Gotos & Getas. [Pont. pag. 677.] eoſdem ſtatuere populos. Quomodo neque [pag. 680.] Cluvero; Gothones & Gothos, pro iiſdem ſumere: ut neque Burgundios & Burgundiones, Freſios & Freſiones, eoſdem facere. Ait enim Clariſſ. „ Pontanus: Sanè, ſi ideo miſcendi ſunt Gothonibus Gothi, ac „ iidem habendi, quia nominibus haut multum diſcrepant; cur „ non & Gothini Gothi quoque cenſeantur? Strictè ibidem cum Cluvero agitur, quod ex nominis vocabulique vicinitate, ac levi „ alluſione, argumentum ducat, ſequitur enim. Quis Guttones

„ Pythiæ, Tacitique Gothones, aut Ptolemæi denique Gythones,
„ eosdem cum illis dicat, qui sæculi posterioris autoribus Gothi &
„ Gotthi sunt appellati? ita D. Pontanus. Cur igitur firmius ex similitudine harum vocum, Nerigon & Norrig. Norvegiam esse Nerigon concludatur? An vero affinitas vocis aut vocabuli, in his, quam illis major?

Respon. ad Argumen: ex navigatione in Thulen, ex Nerigone.

Cæterum, ut hic, me minus rigidum & obsecundantem exhibeam, sitque vel maxime, eadem quæ Norvegia, Nerigos; argumentum tamen, à navigatione ex Norvegiâ, in Thulen fieri solitâ, tam magno animo & fiduciâ inculcatum, & toties iteratum, ad convincendum Thulen esse Islandiam, adeo stupidus sum, ut quid ad quæstionem principalem, conferat, non perspiciam. acsi ex Norvegiâ, non sit in alias terras ac insulas; quam solam Islandiam navigatum. Id enim nisi probetur, quid ex puris affirmativis & particularibus, in hoc, vel hujusmodi argumentationum circo, necessario sequatur, (immo; nec probabiliter saltem) mea non discernit, nec dijudicat lippitudo, ac si dicatur: Ex Norvegiâ in Thulen navigari solitum est; &

Ex Norvegiâ in Islandiam nāvigari solitum est.
Ergo Islandia est Thule, aut vicissim.

Quia argumentum medium (ut jam repuerascere liceat) Navigatio sc. ex Norvegiâ, nullo necessitudinis vinculo, adhæreſcit, sive Thulæ, sive Islandiæ: in plurimas siquidem alias terras & insulas, Navigatio ex Norvegiâ, usitata fuerat: quæ propterea Islandiæ, nec rem, nec nomen merentur: puta Hetlandiam, Færógiam, Grónlandiam. Dices: non Plinii ævo, in Grónlandiam; ast in reliquas duas; ut etiam in Orcades, Hebrides, Scotiam, Hiberniam, Angliam maximè: idque inde ab habitatâ primum Norvegiâ (quod ex Antiquitatibus liquet, quas adducere, hoc loco nimis prolixum foret.) ut reliquas terras, orientem versus, taceam, in quas illo ævo navigatum est. Parcat igitur Annalibus nostris Dn. Doctor, ne propter istam Plinii autoritatem, Fundamentum Arngrimi, à Pontano subrutum statuatur: vel quia Islandia nunquam sit Plinio nominata, sed verba ejusdem, de Thule, ad Islandiam contorta; vel quia Plinii autoritas, scriptoris etsi Pontano Classici, ipsi tamen Pontano, non sit ubique authentica: ut cum Scandinaviam & Finningiam, ipse Plinius, insulas facit diversas. Pont. pag. 745. & in aliis alibi.

Succe-

Succedit Plinianæ, Thule Solini, quæ cum illa, in hoc convenit; quod sit Britannicarum insularum ultima. Vnde etiam Solini autoritate, Thules appellatio, Islandiæ derogatur, quum hæc, illarum numero, aut nomine, nequaquam veniat (quod fuit supra) sicut etiam distantia Thules, à Caledoniæ promontorio, ad Islandiam, nihil quadrante. Sed derogatur maxime Islandiæ, Thules appellatio, his, quæ apud Solinum sequuntur. I. Pomoniâ copiosâ Thules; quæ Islandis nulla. II. Quod Thules incolæ, principio Veris, inter pecudes pabulo vivant. III. Quod in hiemem arborum fructus Thulenses congerant: qui nulli unquam in Islandiâ. IV. Quod Thulitis matrimonii usum Solinus adimat &c. quæ quum omnia & singula, de Islandia & Islandis, falsa magis sint, quam ut refutationem ullam, hoc loco requirant, utpote alias absolutam (Vide Crymog: & Apologeticum pro Islan: 1593, editum, & alia) de Thule vero & Thulitis classicâ autoritate vera; videt ipse Pontanus, videt sanus quilibet, Thulen Solini, de Islandiâ exponi non posse: & Dn. Doctorem, in his & similibus, conquirendis, frustraneam sumpsisse operam. Iam quamvis Solinum, de ipsâ Thule agentem, ex parte redarguat Pontanus, nihil id ad nostram insulam. Sic autem dissimulare noluit Pontanus, quam invitus admittat, quicquid Islandiæ, Thules & nomen & omen derogare possit: Cujus rei indicium forte recurrat in seqq. IV Thule Solini

Cornelii Taciti quinta est, ex scriptorum classicorum Archivis, producta, à Pontano, Thule; sub nive (ut refert Tacitus quod tacuisse satius fuerat, ob antiquam celebritatem Thules) ad ejus ætatem, (Ann. videl: Christi 100. vel 120.) usque abdita latens &c. Additque majoris differentiæ ergo, Tacitus suam Thulen habere. I. mare pigrum. II. remigantibus grave. III. quodque proinde ventis non attollatur &c. quæ attributa, ut Thules propria, Thules vocabulum. Islandiæ, terrâ marique subtrahunt; immo violenter extorquent. Terra quidem, quod usque ad annum jam dictum Thule nive tecta latuerit. Islandia vero etiam ante Ann. Ch. 870. detecta, etsi non habitata sit; ut ex. I. parte hujus tractatus, initio, conspicuum evadit. Mari etiam, pigro, gravi remigantibus, nec ventis elato. Testis enim esto, Danorum, Germanorum, & ante hos Norvegorum, tum Anglorum, nuper etiam Hispanorum & Francorum, denique omnium, qui hunc Islandicum Oceanum, rate vel remige unquam tentarunt, experientia, V. Thule Taciti.

rientia, quam hoc de æquore Islandico, vanum sit ac futile. Ast de Oceano Thulensi, Tacito autore verum, quo autore, proinde, Thule non erit Islandia.

Mare pigrum & pulmoneum redarguit capturam balenarū.

Certe mare pigrum Taciti, vel pulmoneum & jecoreum Pythiæ & Adami Bremensis, Thulæ adscriptum, capturam balenarum, quam aliquot retro annis, juxta litus Islandiæ exercuerant Hispani (ut creduntur) vel Franci: interdum ipsi Islandi; nuperrimè etiam Dani; quantopere impediret, & retardaret, nemo sanus, & hujus navatæ operæ conscius, non dijudicat. Hi namque piscatores, (non secus ac venatores in sylvis, canibus feras insectati) Neptuni illas pecudes suis Scaphis, agili & volucri remigatu persequuntur; dum easdem conto, ad hoc opus deputato, ceu hasta missili feriant, funem affixum habente: cujus altera extremitas ad transtra alligatur naviculæ; mucro autem istius missilis est uncinatus, atque ita comparatus, ut penetrabili ictu, balenæ impactus, è vulnere extrahi nequeat. Vbi mirabilem videas, nixu pertinaci, factam piscationem, quæ in mari pigro, vel Thulensi, juxta Thulense classicum, canentes classicos, nequaquam procedit, vel in effectum producitur. Balena enim vulnere lethali, plærumque, ac incredibili furore acta, miseros & vix sui compotes nautas, in altum contendens (naturâ enim eo fertur) maximo robore, majorique celeritate, fune bene longo, sibi astrictos (ut cum alligaretur olim gener Ciceronis ad gladium) secum invitos rapit; ut dominari illis bestiam, inque ejus potestate illos esse dixeris; dum tandem natatu, & ex vulnere illa paulatim deficiens, sui nautis copiam & potestatem facere cogatur: seque ad naviculas (plures enim adhibentur isti expeditioni) propius conjungi passa, plura etiam vulnera lethalia reportet. exanimatam tandem in litus Herculeo nixu, & improbo labore, nautæ subducunt. Quæ omnia in mari pigro, seu Thulensi, non succederent. Iam illud quod vento mare Thules non attollatur, tam à mari Islandico abest, quam quod maxime; maneat ergo solius Thules attributum, ab æquore tam tranquillo esse cinctam. Quanto infelicium nautarum sors, in Islandiâ deploranda sæpius sese offert, vitæ cum extremo discrimine, sæpe etiam jacturâ. Quid? navigia majora, insulam circumvecta, neque à ventis & fluctibus tuta sunt, nisi vela contrahant, & quandoque prorsus submittant; ut quando mesonauta, in corbe mali constitutus, volâ manus attingere, & undas haurire assurgentes potest. Sed quid, vel pueris nota, consector?

In acie

In acie classicorum, contra me de de Thule & Islandia productâ, Tacitum Ptolemæus excipit. Hujus Ptolemæi, tanti est apud Pontanum autoritas, ut eâ solâ pugnare posse videatur. Supra autem attigi, quam parum recentioribus, ac interim nobilissimis Mathematicis, cum Ptolemæo, de situ Thules conveniat; Nunc saltem ipsius autoris, Thulæ appositam latit. repeto, alias nempe 62. gr. alias 63. Pont. pag. 744. Quæ ab Islandiæ latitudine 66. gr. ferè. (nempe 65.44.) complente, tantum abest, ut vel sola, ad Thules appellationem Islandiæ adimendam sufficere videatur. VI. Thule Ptolemaica.

Quædam nihilominus, de Ptolemæi autoritate (qua Clarissimus plurimum utitur Pontanus, tum ad Thulen Pythinianam, tum alibi) liceat, hoc loco addere; quæ adeo sacra nobis non est, ut ex ipsius verbis, variè adhibitis, interdum patroni & excusationis indigis; Thulen esse Islandiam, Annalium nostrorum cum ruinâ largiamur.

Verum enimvero, quia parum referre dicas, quo in pretio nobis sit Ptolemæi autoritas, meque cum sutoris crepidâ, ab Apelle, alio ablegandum prævideam; Artificum judicia adhibenda fuerint. Supra fuit de Appiano & Frisio, quos hic iterum producere visum „ est, ita nôn Gemma Fr: in suis ad Appianum notis, pag. m. 145. „ Insulæ (inquit) xxx. numero, vocatæ Orcades: sub gr. long. 30, „ ut Ptolemæus ponit; verum ut Recentiores. 22. gr. cum semisse. &c. Vbi si Recentiores illi 7, 30'. à Ptolemæo diffidentes, rectius tradant; potuitne de Thules situ errare, idem autor? Et iterum G. „ Frisius Asiæ expositis insulis, addit. pag. 154. Hactenus parum „ aut nihil, à Ptolemæi, veterumque autorum, vestigiis digressi „ sumus &c. Sed nunc de insularum [quas enumerat] situ, omis- „ sis veterum erroribus, pauca subnectemus. &c. Quis hic sponsor erit, inter veteres illos, à quibus discessum paravit, hac transitione, Frisius, non fuisse ipsi etiam Ptolemæum intellectum? consulendus autor, hic futurus prolixior; & res ipsa docebit. Iam quid „ alii, in magno Ptolemæo desiderârint, testatur Ioh. Bodinus. I. „ Ignotos sc: innerrantium siderum & trepidationis motus, Pto- „ lemæum reliquisse: ut Arabes (Bodini verba sunt) deinde Re- „ giomontanus & Copernicus, perspicuè demonstrarunt. II. Et „ quod nec solis quidem motus omnes assecutus sit; cum negave- „ rit solis absida moveri: quæ tamen post ipsius ætatem, annis 1360. „ signum integrum percurrisse deprehendatur. Sic Bodinus. Neque De autoritate Ptolemæi nonnulla.

etiam in Geographicis, infallibilem, sive irrefragabilem Ptolemæi autoritatem, ipse D. Pontanus ubique agnoscit, ut pag. 672. Vbi recitatis circa Scandinaviam Ptolemæi verbis; ait, Ex quo ap-
„ paret Ptolemæum (quo cum idem dicit Marcianus) incertâ nec
„ solidâ, harum regionum cognitione, imbutum, non simplice
Ptolemæi error crass. à Pontano agnitus. „ vice impingere. Nam I. Quod insulas, omne id putaverit, quod
„ Boream & ortum versus, latissime patet, erroneum esse, omni-
„ bus constare existimo. Qui sciunt, totam cum Scania & Sueciæ
„ Regno Norvegiam, & si quæ annexa sunt, unum esse, cum pro-
„ xima Moscoviâ, & quæ annectitur Poloniâ & Germaniâ, Con-
2. Ptolom. error crassiss: ut & Plinii. „ tinens. II. Deinde, quas vocat (Ptolem.) Insulas Alosiæ, vel
„ Alociæ, quarum una, omnium maxima, Scandiæ nomen præ-
„ ferret, &c. eorum vix aliquid ad verum accedit. Quamvis inte-
„ rim à Plinio, non multum hæc abire fatear; qui ut diximus, præ-
3. Ptol: error & inertia. „ ter Scandinaviam, etiam Scandiam agnoscit, III. Nec ultra hos
„ (ibidem enumeratos) in toto hoc tractu alios agnoscit populos
„ Ptolemæus; ut iterum ejus vel accusare Inertiam: vel quasnam
„ ille secutus hic sit tabulas, ac gentium descriptiones, mirari su-
4. Ptol. error. „ beat. IV. Et pag. 703. ait Pontanus, Phinnos prope Vistulam, à
5. Errorum Ptolemæi chaos. „ Ptolemæo perperam collocari. V. Apponet famelico, & vera juxta ac ficta, ad satisfaciendum latranti, sive stomacho, sive animo converrenti, RECENS FERCVLVM, seu mavis, BELLARIA, fami sedandæ ejusmodi, non incongrua; Arngrimus Ionas: ea verò, sive bellaria, sive tragemata, petita sunt, ex Thesibus, sive conclusionibus, ad publicam disputationem propositis, & non sine applausu defensis, ab oculatissimo & acutissimo Petro Spormanno, Anno 1636, in inclytâ Academiâ Hafniensi. Qui Spormannus, ex Thesib. Geographicis, hanc primam facit.

Sporm. de autoritate Ptolemæi. „ In multis, inquit, Veteres errâsse Geographos, Strabonem,
„ Melam, Dionysium, Solinum, Plinium &c. neminem vero
„ Ptolemæo turpius; ut ridendi potius sint, quam refutandi; qui
„ primum, non tantum inter Geographos locum illi assignant; ve-
„ rum etiam ab eo, quotquot sententiis discedunt, corrigendos
„ esse existimant; inducti, forte, ad id credendum, tabulis istis
„ Geographicis, quas operi suo adjecit; in quibus notata quidem
„ inveniuntur pleraque loca, quæ tam ipse, quam reliqui recen-
„ sent, NB. Sed situbus adeo falsis, ut ignaro Lectori, an plus ca-
„ liginis offundant, an lucis afferant, dubitetur, Qua de re disse-
„ rentem,

„ rentem, in præfatione, de veteri Geographiâ, vid. Cluverum, „ qui exemplis, ex Galliæ, Cypri, Germaniæ, & Scandinaviæ „ descriptionibus desumptis, id fusè probat, & Possevinum in Bi- „ bliothecâ l. 15. c. 20. Quo in loco, imperitiam ejus, in Alpinis „ potissimum & transalpinis tractibus designandis, taxat: docet- „ que, quam à non paucis, propter manifestos errores, quos in „ diversarum regionum delineatione, deprehenderunt, sugilletur &c. Quin etiam, eruditissimi & clariss. Spormanni suffragium, veræ de Thule & Islandiâ sententiæ datum (quum tantum à meâ parte Crymogææ inspiciendæ, copia facta fuisset) minimè asperna- bor. Sic non conclusione Geograph. 7. disputaverat; & me simul, non nullis suffragatoribus auxerat; quando inquit; Verisimiliorem „ esse Anglorum, Spedi, Cambdeni (de quo antea mihi consti- „ tit) & Higgini opinionem, qui per Veterum Thulen, Schet- „ landiam, insularum Britannicarum ultimam [Nautis etiam dum, „ proprio magis vocabulo, *Thielinsel*, dictam,] intelligant. Arn- „ grimi item Ionæ Islandi, qui cum Ramo & Myritio, nullo ar- „ gumento, Islandiam vocari Thulen posse, persuaderi sibi pa- „ tiuntur: Quam vel Ortelii, Scandinaviam Plinii, seu Scandiam „ Ptolemæi, Thulen esse arbitrantis (quod vocabulum, alicujus „ in Norvegiâ tractus, Tilemark dicti, ad Thules vocem allude- „ re videatur) aut Cluveri, in plurimis alias, cauti satis & accura- „ ti Geographi, loco Thules, Islandiam ponentis &c. Ista clariss. Spormannus. Ad Ptolemæum revertor; qui sic de celebratis Arctoæ plagæ Regionibus, crassè erravit, ut etiam Inertiæ, à Pontano accusari meruerit: astrorum legem aliquam, hoc est professionis suæ scientiam, reliquit ignoratam; astrorum interim positu, Geographica definivit. Sed quam feliciter, satis tandem monitum est. Quomodo igitur ad situm Thulensem Autor autenticus, à nobis habendus erit? Suffragiũ Spormanni, Spedi, Cambd: Higgini.

Ordinis Pontani ratione, Isidorus & Papinius, Ptolemæum amplexantur; Illum Ptolemæo subjungens, D. Pontanus ait. p. 744. „ Quibus, si placet, accedant verba Isidori, hæc sc: Thule ultima „ insula Oceani, inter septentr. & Occidentalem plagam, ultra „ Britanniam, à Sole nomen habens. Quia in ea æstivum solstitium, „ Sol facit: & nullus ultra eam dies est; unde & pigrum & concre- „ tum ejus mare &c. Quæ verba Isidori, D. Pontanus, paulo post, „ nempe pag. 746. explicat. Quæ postremo (ait Pont:) ex Isidoro, VII. Thule Isidori.

„ allata sunt, exactum insulæ situm, quæ hodie est Islandia, sub
„ Thules nomine, nobis aperiunt: modo Occidentalem plagam
„ intelligamus eam, quæ est Occidentem versus æstivum &c. Resp.
Isidori sententia, quum ut ambigua, (immo falsa) interpretatione egeat, parum conducit, vel pro parte adversa concludit. Immo etiam, tanto minus, quod secum ipsa pugnare videatur; vel ipso
„ non dissimulante Pontano, & hæc ibidem addente. At de Ety-
„ mo, inquit, & vocis Thules notatione, quomodo cohæreant?
„ ideo sc. Thulen dictam, quod in ea Sol, æstivum solstitium fa-
„ ciat, & ultra eam nullus dies sit &c. Quum ultra eam, solstitio
„ æstivo, multus, immo perpetuus dies sit, solstitio hiberno nullus &c. Iudicet æquus arbiter, an sic liceat Autorum quorumvis temulentiam, arripere, atque ad Annalium N. diligentiam labefactandam torquere & retorquere; nobis negotium ludendo facessere; atque interim magno supercilio, & Doctorali gravitate pronunciare Isidorum, situm insulæ, quæ hodie Islandia sit, exactè (iisdem verbis, quæ falsitatis & amentiæ ipse Pontanus arguit) aperuisse. Non patitur ludum, fama, Fides, oculus. &c. ut tritus habet versiculus, quem de fide vel integritate Historicâ, non injuriâ exponimus.

VIII. Thule papiniana. Papinii etiam contradictoriam, de situ Thules, sententiam adducens, partem sibi faventem accipit; quæ pro nobis faciat, rejicit. Ait enim, quo loco ita canit Papinius Statius; de successu belli Getici.

Famaque nigrantes, succincta pavoribus, alas,
Secum cuncta trahens, à Gadibus usque Britannum
Terruit Oceanum, & nostro procul axe remotam,
Insolito belli, tremefecit murmure, Thulen.

„ Eò loci, inquit Pontanus, ultra Britanniam, cum Isidoro (mo-
„ do vanitatis notato) Thulen intellexit: Nec posse, (Nb. quod
„ alibi quidem facit Papinius, dicente Pontano) pro Britanniâ hic
„ sumi Thulen pag. 746. Ast cur non possit? Quia Pontanus non vult, neque permittit. Quid, inquam causæ est, cur unus & idem scriptor, pro affirmativâ D. Pontani, quam pro Arngrimi negativâ (Quæstionis controversæ) aptus magis & idoneus autor, censeri debeat? Nam quod Isidorum bilinguem, ad suam obtinendam sententiam, Papinio adjungat, & ὁμόψηφον faciat, etiam contra Papinium, nihil moror. Saxonis Gram. Thulen & Thulenses, Ve-

teribus

teribus adjuncturus fueram, sed illam inquisitionem ad Thulen aliorum Recentiorum, ut Cambdeni &c. consulto dilaturus; Thulen Adami Bremensis, Saxone tanto anterioris, præmittam. Iam enim classicos illos Scr. Pontani ferè absolvimus, classicum strenuè, ad expositionem & hortatum Imperatoris sui, inflantes: licet eorundem tubæ taratantara, Islandiam minus percellat: quibus gratiam non vulgarem deberi statuo, quod rectè adhibiti, suâ buccinatione, aliquid mihi porrexerint; quo, si tubicinem, atte præstantiorem nanciscatur Islandia, Annales domestici, Thules jugo, nunquam colla subderent. Sed ad Bremensem.

Duo in primis, (præter alia) præcipua, Thules, de Islandiâ, expositæ, fulcra, Plinii sc: & Ptolemæi, autoritates, ita hactenus labefactatas speramus, ne nostr. Annalium fidem & firmitudinem concutiant ulterius. Ad Adamum itaque Bremensem, clariss. Pontano, de Thule & Islandiâ, utramque facientem paginam, deventum jam est. Qui tanto est ad portas terribilior Hannibal, quia disertè Islandiam exprimat, hancque Thylen esse veterum, categoricè affirmet: sitque primus, qui hujus contentionis telam, antea, quod mihi constet, ignotam, exorsus sit; jusseritque harum insularum, Thules & Islandiæ, unam de alterâ prædicari. In cujus categoriâ Historicâ, si nihil dissonum & Heterogeneum fuerit depræhensum (Nam quis de Canonico Bremensi, nisi merè canonicum, & Regulare quidvis, sibi promittet?) oleum & operam ego perdidero. Interim scriptorem tantum, intactum reliquisse, majus foret piaculum. Is itaque, quando, aut ubicunque natus, Bremam se primum venisse testatur An. Christi 1067. qui ex iis, quæ de Thule & Islandiâ scripta, mihi fato quodam commentanda reliquit, sequentia ex D. Pontano, à me excerpta exhibuit.

IX. Thule Ad: Bremens.

Histor. Eccles. Bremens.

I. Quod dicat, Thulen, per Infinitum, ab aliis, distare. Infinitum vero illud, mox ab eodem. 6. dierum navigatione, à Britanniâ definitur; A Solino. 5. dierum; ab aliis bidui navigatione &c. Ast nihil Infiniti, illa. 6. dierum navigatio Bremensis, præsertim aliis in dubium vocata, importat; nec tantam hyperbolen admittit. Hæc prima, esto, in Bremensi ἀντίφασις.

II. [Vix ut inquiunt nota habetur; de quâ, tam à Romanis scriptoribus, quam Barbaris, multa referuntur digna prædicari] Altera ἀντίφασις. Quî enim quæso, de terrâ aut re quapiam, vix notâ, multa referri potuerant? & quidem non levia aut vana; sed digna prædicari,

prædicari, ut is loquitur. Iam de Thules notitiâ P. Mela testatus est, illam terram Grajis, Latiisque carminibus, esse celebratam: Extantque monumenta alia Veterum, ore pleno Thulen loquentia: nec ignota Bremensi. Iam expeditio illa Romanorum, facta in Thulen & Orcades, cujus meminit Pontanus. pag. 746. & cui Grispini illius patrem, ad quem scribit Papinius, interfuisse ait; manifestam nimis Thules notitiam præsupponit. Et quia Bremensi Islandia est Thule, tempus primum habitatæ Islandiæ, hanc Thules ignorantiam, in Bremense redarguit. Annis enim 193. prima Islandiæ inhabitatio, tempus quo Bremensis, Bremam primum venit, anticipat. Quibus 193. annis, Islandia, hoc est Thule Bremensis (ex cujus hypothesi, ut ut vana, nunc loquor) ab extraneis mercatoribus frequentata, etiam Bremæ vel Bremensibus, procul dubio innotuerat. Nec est quod obscuram hanc Bremensis, de Thule, notitiam, ad aliorum relationem, vel Famam quis referat. Bremensem excusando, istis verbis, [ut inquiunt] Ipsius enim est assertio, vix nota habetur. Verum ex Famâ, inquies, sed Famam cur scriptoribus, mox afferendis prætulit? De quâ (Thule) inquit, multa à scriptoribus referuntur. &c.

Objectioni occurritur.

III. Tertia ἀντίφασις Bremensis hæc est; quod cum Islandiam statuat esse Thulen, noctem 6. mensium, eidem adscribat (licet ex Pythiâ & Bedâ quodammodo, quibus Islandia nunquam, in aure vel ore, vel scriptis fuerat; scilicet tantum Thule, vel Thyle, vel Thile) Noctem, inquam, tam à D. Pontano, Islandiæ verè denegatam, quam rei experientiâ, & tot millibus hominum, qui Islandiam unquam attigerunt, testimonio, falsi convictam. Dicere igitur Islandiam esse Thulen; & habere interim Thulen, noctem 6. mensibus continuis durantem, contraria & contradictoria sunt, & nox semestris Thules appellationem ab Islandiâ, manifestè removet, ut supra. Sic igitur in primo statim limine, impingere, & ἀντιφάτικα loqui & scribere oportuit, qui mox esset de Islandiâ & Islandis minus vera traditurus.

NB. Cæterum in primâ ἀντιφάσι, distantiam navigationis 6. dierum, à Britanniâ ipsius Thules, citius missam feci, quam incuria hic resarcienda venit. Quâ distantia, ad colligendum & mensurandum, Thules, ut volunt, remotissimæ, & Bremensi, per infinitum dissitæ, situm, Veteres quidam, & nonnulli Recentiores, adeò securè usi sunt, ac si millaria terrestria, & in sicco dimetienda forent.

Fidem

Fidem vero vestram, ô scriptores! Quid sani, aut satis exquisitum, de terrarum, remotissimi Oceani, positu, ex incertissimo, & maximè inæquali, navigantium cursu, colligi poterit? Quum una navis, aliam celeritate vincat, & post se, eâdem flante tempestate, relinquat. 1.
Quum non semper eâdem navigetur aurâ, totos 6. dies continuos. 2.
Quum æquoris & Euriporum qualitas (non equidem pulmonea, vel jecorea superiorum Autorum, sed quæ à fluxu & refluxu, Oceani, nunc adverso, nunc navigantibus, secundo, causatur) summam hic varietatem, & navigationis, maximè differentem successum, gignat & causetur. 3.
Quum Nautarum ars & vigilantia, in dirigendo cursu, ex pediundis carbasis, major minorem, multum superet: 4.
Quum denique navigationis fama & narratio, pro lubrico Nautarum ingenio, lubrica, talem quoque hujus rei assensum procreet. 5.
Sed istis relictis, in contextus Bremensis, Solario, ulterius apricandum est, videndumque quomodo ille post sua ἀντιφάτικα ficta & absurda conglomeret, iisque Historiam suam prægnantem reddat.

Hæc itaque Thule, nunc Island appellatur.] ad hæc verba Bremensis, D. Pontanus, immediatè, cum prius noctem semestrem, Thulæ & Islandiæ, contra Bremensem, ademisset, hæc subjungit. „ Mox recte concludit (Bremensis) hanc Thulen non esse aliam „ ab Islandiâ &c. Verum, ex quo antecedente, inquam? Non sanè alio, (quod evidens est) quam ex nocte semestri Veterum, Thulensi insulæ assignata, licet Islandiæ, hic & alibi à Pontano, negatâ. Talis igitur erit hæc conclusio, quale antecedens, hoc est, Falsa. Text. Brem.

A glacie nomen.] Verum est hoc Islandiæ etymon, sed qui circa Thulen, hujus glaciei mentionem faciat, invenio neminem, & ne quidem in expeditione Rom: in Orcades & Thulen factâ, de qua superius, unde & hæc glacies, Islandiæ appellationem Thulensi insulæ derogabit, ut à quâ Thule sit immunis, Islandia autem vexetur frequentissimè. Text. Brem.

De qua (glacie) hoc memorabile ferunt, quod eadem ita nigra & arida videatur, propter antiquitatem, ut incensa ardeat]. Text. Brem. Miraculum sanè aliud, huic glaciei affinxit, Scriptorum quorundam stulta & credula superstitio. De inferno seu barathro glaciali, (ut & montano, vel ut dicam, submontano) in Islandiâ, de quo Apologetic: pro Islandia, part. 1. Sect. 7. Hoc vero Miraculum, mirabile, seu Bremensis, memorabile, credo, præter ipsum, apud neminem

neminem repertum iri. Nec si à Sexcentis afferretur Autoribus, reciperemus; ut quod præter omnis ævi experientiam, ignis & aquæ, infesta & contraria, utrinque natura explodit. Ardent quidem nonnunquam montes, (nivosi & glacie tecti superne) sed parte sui subterraneâ. Ast hic nix & glacies, nullum præstant flammis alimentum; verum Sulphurea & nitrosa materia, in terræ visceribus, cum vento, conclusa; & tum nix & glacies, aut in aquam resolvuntur, ab incendio validiore; aut non resolvuntur, (nec tamen ardent, utpote igni, incompetens, per naturam, nutrimentum) flammis in illas non pertingentibus, incendio minus valido. Est igitur hoc Bremani miraculum, cum Cynocephalo Amazonibus gusta, aquæ dulcis, concipientibus, nato (apud Bremensem alicubi) ejusdem nitoris, in malis nidoris. Quod ita refutasse satis est. Nam si vel unico olim, aut nunc, tot post Bremensem sæculis, (quibus glacies hæc Islandica, tantum contrahens senium, tanto erit ad focum alendum aptior, juxta Bremens: Metaphysicam) experientiæ testimonio, à quocunque, etiam mediocriter, fabulis aut figmentis, aut violandæ veritati assueto, asseri possit, manus dabimus. Vtinam vero sæculum illud superius incredibilia & impossibilia, in Naturalibus (Nam si ad virtutem omnipotentem, hic appelletur, & fides hujus rei revocetur; quæso, quo fine?) pro Historiâ venditare, tandem desiisset, minus certè *inutilium* librorum haberemus. Non profecto decuit Bremensem, tantæ autoritatis virum, Ecclesiasticum & Historicum, & Regis Daniæ familiarem, tanta levitas, quæ vix nisi vanitatis centrum attingat. Sed dices, excusatum, vulgi Rumore, per illud, *Ferunt*; Hem, Apologiam! Nos vero non laboramus, utrum violatæ veritatis ansa, in ipsius ingenio nata & exorta sit, an verò aliunde porrecta, Gravitatem & constantiam, in hoc Scriptore desideramus, futilitatem improbamus; Illudque hic agitur, quam fidem, ipsius reliqua, sive de Thule, sive de Islandia, sive aliis, satis dubiis, mereantur.

Sane, quam fuerit bonus ille vir, ad Fabulas pronus & figmenta, quamvis hoc loco, de Thule & Islandiâ, agentem D. Pontanus magni, imo maximi faciat, & obviis ulnis excipiat; alibi tamen non dissimulavit Dn. Doctor, ut pag. 689. quando sic scribit, Tra-
„ ctat: de Insul. Boreal. Quæ exinde, colophonis loco adjicit A-
„ damus [Bremensem tangit] ab aliis, (recens vulgus, intelli-
„ go &

„ go & famam) & priscis desumpta sunt Autoribus; utpote Soli-
„ no & aliis; qui ex Falsâ aliorum relatione ἄτοπα & absurda ejus-
„ modi, memoriæ prodiderunt. Quæ sicut prudens Autor Taci-
„ tus, in medium se relinquere, ut incomperta dixit; sub finem
„ suæ Germaniæ; ita à nobis, quibus ille jam tractus, terrarum-
„ que ditiones, innotuerunt plenius, in totum, ut Fabulosa insu-
per habentur. Ita D. Pont. Colophon vero Bremensis, cujus hoc
loco Pontanus meminit, sic apud eundem P. legitur, pag. eâdem
„ nempe *686*. Ibi [in Suediâ vel Sveonia] civitas magna Sigto-
„ na (ait Bremensis) ab oriente autem attingit Riphæos montes
„ [sc. Suediâ] ubi diserta ingenia, ubi nives altissimæ, ubi mon-
„ strosi hominum greges. Ibi sunt Amazones; ibi cynocephali:
„ ibi cyclopes, qui unum in fronte habent oculum; ibi sunt illi
„ quos Solinus dicit Himantopodes, & illi qui humanis delectantur
„ carnibus, præ cibis &c.

Horum figmentorum (ficta enim ista fuerunt, verbis modo allegatis) culpam in Solinum, & alios innominatos, Pontano transferre visum; ut ipsi, ob novatam circa Thulen & Islandiam, gratam operam, mitiorem se ostenderet. Sed intuenti nihilominus fit manifestum, Bremensem ista, ut sua, prodere; nec ullos sibi autores, ad fidem sui scripti, adsciscere: nisi quod Himantipodum, nomenclationem, non rem, ad Solinum referat. Et ne opus quidem habuit Bremensis, de orbe sibi, quam Solino, & Veteribus istis, viciniore & magis noto, illorum autoritates emendicatas adsciscere.

Sed iterum audiamus, quam Bremensi figmenta, non displicuerint, idque ex Pontano. pag. *726*. hæc Bremensis verba allegante.
„ Circa hæc litora Balthici maris, ferunt esse Amazones, quod
„ nunc terra fæminarum dicitur &c. ubi & plura (inquit Pontanus)
„ sed fabulosissima addit; de earundem Fæminarum. 1. ex aquæ
„ dulcis gustu, 2. aut ex peregrinis. 3. aut monstris denique Con- Bremensis figmenta.
„ ceptione. 4. Nasci ex illis, si quid sexus masculini conceptum sit
„ Cynocephalum; si fæmini, mulieres formosissimas. Quorsum
autem ista, inquies? ut Leonem ex unguibus, & hunc scriptorem
Bremanum, ex ingenio & affectu, ad nova (vera an secus, parvo
discrimine) prodendi & corradendi pruritu, æstimemus, qui certe
in Islandiæ descriptione, ut pardus, colorem haut mutavit, in aliis
quibusdam, ut non nimium tribuimus; ita nec omnia derogamus;

ſed finimus, ut meritus eſt, eum ſuâ, non noſtrâ laude niteſcere.

Text.Br. *Inſula per maxima*] De magnitudine Iſlandiæ, ultra vel aliter, quam in Crymogæâ & Apologetico, eſt reperire, nil ſumus ſolliciti; neque id ad quæſtionem controverſam, de Thule & Iſlandiâ quicquam fecerit, an videlicet ejuſdem ſit cum Thule, an diverſæ magnitudinis.

Text.Br. *Vt populos multos intra ſe contineat*] Quid Bremenſis per populos multos, intellexerit, ipſus eſt ſui optimus interpres; nempe non populos varios, aut ex variis & diverſis nationibus, conflatos; ut vult D. Pontanus. Quin potius voluerat autor, integrum ſibi eſſe, populos an populum dicere, ut ipſe ibidem loquitur; inquiens.

Bremenſ. ,, Ad cujus [Epiſcopi ſc. Iſlandiæ] nutum reſpicit omnis populus, ,, item. Tranſmiſit Archiepiſcopus [Bremenſis] ſuos apices populo Iſlandorum. &c. Nimis igitur coacta eſt, etiam hoc loco, clariſſ. Pontani expoſitio, ex iſtis Autoris ſui verbis [populos multos] ,, alium ſenſum, & menti ſcriptoris contrarium, eruere volentis;

Pontanus. ,, dicendo, Iſta verba Bremenſis [populos multos] indicio eſſe, ,, non heri, aut hodie, quod dicunt, frequentatam (ſubaudi, ,, fuiſſe Iſlandiam) ſed habuiſſe indigenas ſuos, ante multa ſecula ,, &c. ſc. ſcribente Bremenſe. Nam Antiquitatem populi Iſlandorum, vult ad Natalem Thules, & Thulenſium Pontanus extendere: Quo contra Annalium Noſtrorum Fundamentum, tanto plura corradi poſſint: & Bremenſis, ſic expoſitus, ſat idoneus autor haberi: ſecus quam in aliis, ex utroque ſcriptore, paulo ante allatis, videre eſt. Sed videri poterit, non ſat bonæ cauſæ indicium, ſi quis tam minuta, eâque violentâ interpretatione adhibita, ad tuendam ſententiam unam aut alteram conſectetur: idque ex iis, quos paulo ante, futilitatis penè condemnaſſet. Verum de populi vocabulo aliquid injiciam. Cum populum Autores definiant, multitudinem unius Civitatis, Iuris conſenſu, & concordi communione ſociatam &c. oporteret; Si Iſlandia varios habere populos dicenda ſit; eos nec juris conſenſu, nec concordi communionis ſocietate, gaudere. Cujus contrarium totius coloniæ Iſlandicæ periodus evincit. vid. Crymog. Civitatem etiam totam Iſlandiam intelligo, cum Cæſare; qui totam Helvetiam, unam civitatem appellavit.

Text.Br. *Solo pecorum fætu viventes*] Vanius hoc eſt, quam ut Hiſtoricum deceat, cum non minorem victum, piſcatio multiplex; tum frumentum & far, licet importatum (præter id, quod ſæculo primævo, qui-

vo, quibusdam in locis, ex agriculturâ colligebatur) tum aucupium, etiam hodie passim usurpatum, præsertim ætate Bremensis, suppeditarent. Quid? quod ex piscaturâ, quæ victui annuo superest, rem faciant incolæ; ac præcipuè sæculo Bremensis fecerint: Et naves extraneas, nostrâ etiam tempestate, magis quam pecorum fætu, ut loquitur Brem. (nos oves & boves intelligimus) onerent. Quod ita esse (Victualium rationem, piscibus constare præcipuè). Vetus lex, prohibens, si fames metueretur, piscem patriâ exportari; indicio est: & non minus; quod facundi Historici ἰχθυοφάγυς Islandos vocitent; non σαρκοφάγυς aut aliunde. affectatus itaque apparet hic error Historici Bremensis de solâ pecorum fæturâ.

Minima lignorum copia, propterea in speluncis subterraneis habitant.] Text.Br. Hanc lignorum inopiam, etiam ab aliis, probri loco objectam, simul ac falsos illos specus subterraneos, Crymogæa refellit. Vide Apologeticum.

Communi victu & strato cum pecoribus gaudentes] etiam hoc probrum, dictis pro Islandiâ libellis, redarguitur. Quod tamen humanissimus Pontanus, conatur emollire; & Taciti phraseologiâ, extenuare & excusare: sed multa ipsius Humanitati danda censemus; quæ Bremensi minimè. Hæc interim contra rei & veritatis naturam afferuntur. Text.Br.

Multa insignia in moribus illorum; præcipuè charitas; ex quâ provenit, ut omnia inter eos sint communia] A charitate commendari, insigne ducimus, sed verè & syncerè, non falso aut subdolè prædicatâ. Porro, quum Bremensis dicat, *Omnia esse inter Islandos communia:* addatque tam indigenis quam advenis &c. teterrima crimina nobis simul admentitur; & convitiis, toto non abluendis Oceano, afficit: opprobriis detestandis, in conspectu totius orbis onerat; unde ignotis gentibus, ne hominis quidem titulo digni habeamur. Nam cum omnia communia, advenis cum indigenis; & his inter se deblaterat, calumniator: Quis uxores, quis filias exceperit? Ita ut Solini encomiis, an vero maledicentiâ, refertum probrum. Si nobis accommodetur, Thulitis suis matrimoniorum usum adimendo, in Bremense Islandorum, texente (si dîs placet) historiam, repullulet: unde ævi posterioris Islando-mastiges, inflictæ nobis maledicentiæ, & falsi probri ansam arripuerant, sibi ab effronte porrectam Phabirano. Neque verò præter fæminas, aliarum rerum communio in laude ponenda est; quarum proprietatem, Divina, hu- Text.Br.

manaque jura, probant & permittunt; immò afferunt & injungunt. Nam quod ad fubfidiorum in primitiva Ecclefiâ, communitatem vel communionem fpectat; huc non refpectat: qua de re hoc loco nihil: ne quenquam tam infulfum & infrunitum ftatuere, arguar, qui tempora, & alias rerum circumftantias, difcernere, nefciat: aut, quod Evangelium, non abolere Politias, ignoret. Gentilis igitur IRONIÆ fpeciem habet illud: Multa infignia in moribus illorum &c. amara inquam, eft ironia, & omnium ifta communio; manifefto ψεύδῳ laborat. Videatur denuo Nomothefia Iflandorum, ex Crymogæâ; præfertim, Titul. De Matrimonio & Hæreditate: de emtione & venditione; Locatione & conductione, de Mutuo, Rapinis & Furto; quæ omnia, in Omnium communione, nullum locum habent. ô præcipitatam Phabiranenfis (fic enim Bremenfem, à fuâ urbe, interdum notare vifum eft) Hiftoriam: ô charitatem mendacem & mendofam!

Text.Br. *Epifcopum fuum colunt, pro Rege; ad cujus nutum refpicit omnis populus*] Neque etiam hoc litat veritati. vid. Crymog. Ad annum fiquidem ufque 1263. circiter, Optimatum duravit in Iflandiâ Status, Annis nempe 389. plus minus: cui interfuerunt, nunquam præfuerunt Epifcopi. Qui, quum, duo unâ, inde ab Anno Chrifti 1106. Ecclefiis præfuerint (fuâ quifque in Diœcefi) duos quoque unâ quafi Reges habuiffet Iflandia; quod eft abfurdum Hiftoricum. Nec unquam, penes Epifcopos, Rerum fumma, hic fuerat. Quin potius fuppeditant Annales varia [dolendum!] contra Epifcopos, Optimatum certamina, atrocefque injurias, quod hujus loci non eft.

Text.Br. *De quibus immenfas, nofter Metropolitanus* [Adalbertum Archiepifcopum Bremenfem, intelligit Hiftoricus] *gratias retulit Deo, quod fuo tempore convertebantur* [Iflandi] *Itaque petentibus illis ordinavit primum Epifcopum Ifleif.*] Quid hic primum mirer, quid imaginer potiffimum, nefcio. Ducentis enim & 22. Annis abeft æra privilegii Anfgariani (de Religionis indagatione, apud Iflandos agens) quod infra occurrit; ab hoc, ordinati primi Epifcopi Ifl. Anno: & à gratulatione Adalberti, fuper Iflandiâ conversâ. Et in privilegio Anfgariano, tanto anteriore, Imp. Ludovicus fimiliter fibi gratulatur; quod fuis in diebus, Divina Gratia, magnum patefecerit, prædicationis, five acciquifitionis oftium, etiam in Iflandiâ & Gronlandiâ &c. Qui valet, conciliet ifta; fed nunquam dum fuperfim, abfque aliquâ meâ Inftantiâ. Porro dum Brem. hic com-

mentor, quid inquam potissimum imaginer? utrum Bremensem, privilegialium literarum, Ansgario datarum, non conscium, tale tempus Islandiæ conversæ [administrante Metropolitani munus Adalberto] annotasse? An vero conscium; & nihilominus, privilegii æram dissimulasse (Anno 834.) adque conversionem Islandiæ referre quasi erubuisse. Non illud, quum Historia Ecclesiastica Bremensi adscripta, privilegii dicti mentionem faciat; licet diplomatis exemplar non exhibeat; exhibet tamen confirmationis Nicolai Papæ exemplar; quâ Antecessoris Gregorii, idem privilegium asseruit: Verum excluso Islandiæ & Grónlandiæ nomine; idque jure optimo; iisdem adhuc desertis. Ergo hoc; nempe dissimulatâ Ansgariani privilegii ærâ, lucrifactæ Christo, Islandiæ tempus, nostris Annalibus magis congruum, annotasse Bremensem. Quod tempus, non præcisè, ad Annum ordinati Isleifi, sed ad suam ætatem [Quod suo tempore convertebantur sc. Islandi, ait Bremens.] Adalbertus, in sua gratulatione restringit. Sed poterit forsan, in posito Disjuncto bimembri, dari tertium: Nempe exemplar, toties dicti privilegii Ansg. Bremensi quidem visum esse; verum inter reliquas, plagæ arctoæ Regiones, Islandiæ & Grónlandiæ nomen, aut mentionem ullam, non habuisse, quod ego haut invitus admitto: sicut inferius disputandum veniet. Hoc tandem Historiæ momento, circa primum Islandiæ Episcopatum, excepto; nihil sani, aut solidi, tota Bremensis pagina, Islandiæ descriptionem complexa, habet: ut ut, à summo Viro, D. Pont: fiat maximi. Neque est, ut hic à quoquam excusetur, tanquam audita saltem & levi allatâ famâ, referat: addit enim: N.

Hæc de Island. & ultima Thule veraciter comperi; Fabulosa præteriens] Text.Br. Quæ hocce loco, ultima est Autoris vanitas, (nonnullus imposturam diceret) Lectori fumos pro famâ veraci venditantis: ac interim, non famam, sed propriam comperientiam, allegando: quum ipsi nihil minus licuerit, quali etiam coronide, Historiam suam Ecclesiasticam Bremensem, idem Phabiranensis, ad Liemarum Archiepiscopum Br. clausit; ubi tamen plus Fidei, ut rebus magis notis & domesticis, merebitur. Libet autem eandem coronidem, non illepidam hic apponere.

Charior inde tibi maneat [Hist. Eccl. Br.] *quod nil ibi fictum.*
Si bene non potui, certe veracia scripsi.

Item. *O Liemare pater: faveat tibi gratia Christi;*

Ponderosiss. Monachorum epithetō.

Nosque tua pecudes, tibi corde & voce favemus.

Ab hujusmodi Pecudibus, Ansgarianis privilegiis, non injuriâ timeo: solent enim ut Pecudes, in agros & vineta, quæ istæ pro fimetis habent, quidvis audere, sibique permittere. Monachi, & publicis instrumentis, alias addendo, mutilando alias & mutando, pudorem prostituere, de quo, membro 11. &c. hujus partis magis ex professo agetur.

Atque sic, quum viderimus, qualem nobis Thules & Islandiæ descriptionem, Adamus Bremensis concinnaverit; in aliis Geographicis, etiamnum paucis inquirendum, utrum accuratiorem se præbuerit, & magis fide dignum autorem? an vero sit hæc forssolis Islandis ferenda? sin minus; dulcescat commune naufragium; si par, utrobique Historici emergat autoritas. D. Pontanum. pag.

Novus error Geogr: Bremens: à Pontano monstratus.

„ 685. hic attendamus, quando ait: Bremensem, Scaniam, erroneè, insulæ vocabulo afficere. Et pag. 726. Vltimo, inquit, subjicit (Bremensis) nonnullos ex Sveoniâ, itinere terrestri, in Græciam pervenisse; idque à viris locorum peritis, observatum. Quod sanè commonefacere, Adamum ipsum debuit, non tam insulam, ut nominat plærumque, quam peninsulam, hoc esse totum, quod Boream respicit. Et idem ortum versus, utpote continens, annecti Moscoviæ. Quod antea à nobis & alibi, iterum

Alter error ejusdem, de Halogiâ: ab Arngrimo ostensus.

iterumque est commemoratum. Præterea; ut de Scania satis nota, multum in Daniâ versato, & tractibus vicinis: ita etiam de Halogiâ, celebratâ, Norvegicæ continentis parte, & provinciâ, insigniter erràsse Ad: Bremensis, deprehenditur; Quum Oceani facit Insulam, licet quam Grónlandia & Islandiâ viciniorem Norvegiæ, „ illis tamen magnitudine respondentem. Tertia, inquit Brem: „ L. de situ Daniæ & Norvegiæ (tertiam sc. post Islandiam & Grónlandiam intelligens) est Halogeland, insula vicinior Normanniæ [Norvegiæ] sc. quam duæ priores [Islandia & Grónl.] verum magnitudine non impar &c. Rex Dan: cum multis aliis, contestatus est, hoc, [quod de quantitate noctis dixerat] ibi [in Halogiâ] contingere; sicut in Suediâ, & in Norvegia, & in cæteris quæ ibi sunt insulis.

Sic itaque Bremensis, Halogiam [Halogelandiam] ut Insulam & à Norvegica continente, vasto satis Oceano separatam tradit, (ut dixi) istis præsertim verbis, quibus viciniorem dixit Norvegiæ, quam sit Islandia vel Grónlandia, talis enim vicinitatis proportio,

inde colligitur, ut interim Halogia satis vasto æquore remota statuatur. Quum tamen sit, ut D. Pontanus longè verius scripserat, pag. 784. ferè extrema Norvegiæ &c. *Ferè*, dixit; quia Findemarchia exterior est; cui sc. & Naumædalensi Topharchiæ, Halogia interjacet; Quod ipsum ex descriptione Norvegiæ Dn. Petri Cl. Vndalensis &c. ut & mappa Geograph. Sueciæ Aurelii Adriani; in qua litus Norvegiæ Occidentale depingitur, videre est. Estque hic lapsus Bremensis, de situ Halogiæ Geographico, adeo usque non remotæ, nimis crassus. De situ ejusdem Cosmographico sunt sequentia, quibus noctem & diem longiss: sic exposuit Bremensis. *Hac* [Halogia] *in æstate, circa Solstitium, per* 14. *dies continuos, solem videt supra terram; & in hieme similiter, totidem dies sole caret*. &c.

Ast Quantitatem Diei & noctis maximam in Halogiâ, Libellus quidam, Norvegico extans idiomate, & Speculum Regale inscriptus (Regem Norvegiæ Autorem habere creditus) sic tradit. *I mórgum stódum Noregs er pad, ad sól mári siá, mikinn bluta vetrar, enn allra hellst a Halogalande, er vvier ei ad einsfriett hófum tilhafft, helldur sied optt med augunum og reynt. Pui pad vvitum vvier til sanns, adfra pui er Inngeingur* 4. Idus Novembris *Og til pess Inngeingur* 4. Idus Ianuarii. *pá vverdur alldre so liós dagur, Vogum, og um Andanes á Halogalande, ad ei sie stiórnur stedar á himne, Iafnvvel midjann dag sem um nótt. Enn posidan take dagur til ad lysa, so ei meige stiórnur siá, pá er pad pó, i mórgum stodum, sem nu um rædum, ad ei má sól siá, allt til.* 10. Kalend. Februar. *Og vr pui kiemur* 8. Idus Aprilis, *pá setst ei dagvr sydann, fyrr en* 4. Idus Octobris. *Og er óll su stund par á mille, allt eirn dagúr sem alldre setss.* Hoc est. Multis Norvegiæ locis contingit, solem per magnam partem hiemis, non videri, præcipuè per Halogelandiam [nobis Halogia, ergo est Halogia pars Norvegiæ, teste Rege Norvegi: indigenâ] quod fama saltem non accepimus, sed oculis hisce vidimus, & experti sumus, sæpius; quod inde, à 4. Id. Novemb. usque ab 4. Idus Ianuarii, dies nunquam tam lucidus habeatur, in Vogum & per Andanes. [locorum priorum nomina sunt Halogiæ], quin Stellæ, in meridie, ac noctu, sint æquè, in cælo, incolis conspicuæ. Et licet inde paulatim, diurnum tempus, lucis aliquid acquirat, ita ut Stellæ interdiu non compareant; tamen passim per Halogiam, Sol se non exhibet conspicuum, usque 10. Kalend. Febr. Ast vero post. 8. Idus Aprilis, lux diurna nunquam cælo decedit,

Speculum Regale.

decedit, usque ad 4. idus Octobris. Quod temporis intervallum, diem unum continuum, & minimè occiduum efficit &c. Hæc cum Bremense 14. saltem dierum spacio, sive diem, sive noctem longissim: Halogiæ admetiente, conferantur.

Adalens. pag. 129. Libet autem obiter hic attexere, de insulâ quadam Norvegiæ, „ describente Doctiss. Vndalense; Danic: Findemarchiæ, inquit, „ ad septentrionem 7. à continente mill. objacet Insula Wardoi, „ unicam habens parochiam & arcem *VVardhús.* Illic qui habitant, „ mensibus aliquot æstivis, diem habent perpetuum; possuntque „ sereno Iove, nocte diequesolem intueri; & vicissim mensibus „ hibernis, noctem opacam & perpetuam. Nisi quatenus splen- „ dore lunari, datur frui: quo prælucente, piscaturam exercent, „ & alia foris expediunt &c.

Cæterum, non adhuc Bremensem satis commentati sumus, nec eorum, quæ posteris reliquit, Veritatem, satis perspeximus; cujus tamen D. Pontani, non minimopere interest; veluti fide digni testis, à suâ parte producti, ad nostram de Thule, dubitationem excutiendam, & fundamentum subruendum. Est autem testium examen, de jure Gentium & Naturæ, magna pars Actionis. Reliquum itaque examinis, si de situ Halogiæ, figmentum, minus sufficere videatur; erit adhuc, circa illa, quæ de reliqua Norvegiâ, satis sibi vicina, magnâ futilitate scribere, ac ad Historiæ suæ augmentum, & quoddam quasi autoramentum, addere præsumsit. „ Ait enim de suâ Norvegiâ. [Normannia (ita enim Norvegiam, „ more suo vocitat. L. de situ Dan. & Norv.) propter montium „ asperitatem, sterilissima est omnium Regionum, Solis apta pe- „ coribus.] Contra vero ipse D. Pontanus, hunc suum primipilum; tribuit Iamtiæ, sive Iamtelandiæ (quæ provincia est Norvegiæ ultramontana) Solum uberis glebæ, quæ ipsius Doctoris verba sunt „ &c. Astipulante Vndalense description. Norveg. Danicâ. pag. 103. *Iemtelander it got Kornland.* Et reliquâ Norvegiâ, habet eadem descriptio, ut sequitur. 1. De agro Asloensi. pag. 35. *Der ligger & riigt och fædt kornland, om kring Oslo.* 11. De Hedemarchia *Osten op ved Miós, ligger Hedemarken, er besónderlige got kornland, der fraa kommer Slaatter och fæd vahre, om hóften: korn och Meel om Vinteren.* 111. *Listen, er meste parten Slett land, och er got kornland.* p. 65. item p. 65. *Sigis; adttil Staffangersóres meged kom, aff det Kornrige land Iaderen: det er Listen* &c. Quæ tres dictæ (præter Iamtiam) provinciæ sunt Norvegiæ, satis nota & celebratæ. Sed

Sed forsan, hoc hodie (dices) olim & tempore Adami Brem. aliter. Resp. Enervat hanc exceptionem, Lex Agraria, in vetustiss. jure Norvegiæ descripta; circa agrorum, non solum divisionem & terminos: sed eorundem culturam: ut stercorationem, arationem, sementem, messem; tum circa frumenti annonam. De quibus legi poterit Titulus, de locatione & conductione, compendii gratiâ omittendus; ubi etiam cap. 9. ejusdem Tituli, mentio fit hortorum. Si quis adhuc ætatem Bremensis, contra has LL. constitutiones urgeat; noverit is, hasce constitutiones ad Halfdanum Fuscum, referri, Norvegiæ Regem, nempe (Comati seu Haarfageri parentem; ideoque ævo Bremensis tanto superiorem. Et quamvis ista, fidem Bremensis, tam de sterilitate Norvegiæ, quam aliis multis, quæ ipsius nomine circumferuntur; præsertim ignotissimâ ipsi Thule & Islandiâ, satis superque elevant; addam tamen nihilominus (nisi prodigus magis, quam liberalis, hic videri possim) quod de hac postremâ materiâ, in vitâ Haquini Haquinn, Norvegiæ Regis sic legitur. *Det aar* (Christi 1218) *som Haagen* (*Haagensson*) *bleff Kong; Noreg, vvar god tid, och meged got kornaar; landedt: ad aalden tra bare tvende gang fruet &c. och vvilafugle* [aves Sylvestres] *lagdet vende kulder &c.* edente Danicè Clarissimo D. O. Wormio. Cum itaque levior sit, in controverso negotio, boni Bremensis autoritas, quam ut centrum veritatis attingat; cumque eundem commentando, satis immoratus forte videar; eat ille tandem, cum suâ Thule Islandicâ, & Thulensi Islandiâ; etiam cum erratis Geographicis, figmentisque aliis, Historiæ nomine venundatis, ac Geographi & Historici Titulum, circa Thulen & Islandiam mereatur.

Objecit. Resp. Halfdan. Fusc. Rex & Legislator Norvegiæ. pag. 607. Disputatio contra Bremens. abrumpitur.

Superioris ætatis scriptoribus, qui Thules vel Thulensium meminissent, Saxonem Gram. adjungere, forte non inconveniens fuisset: verum quia ipsius sententiam, non peculiari capite Pontanus tractet; sed sub titulo Cambdenianæ Thules, eâ de re agat; Nondum in Saxonis mentem, minus forsan apertam, inquirimus: quum idem mox recurrat; sed sit hoc loco satis, quid mihi olim, in eodem negotio, acciderit, versanti. De mente sanè Saxonis circa Thulen, Clariss. Pontanus & Gul. Cambdenus, in diversas abeunt sententias; hoc negante, illo affirmante, Islandiam per Thulen, Saxoni intellectam. Nec diffiteor equidem, mihi olim, adhuc ferè juveni, Islandiæ Apologeticum edenti, non displicuisse hanc, à

x. Thule vel Thulenses Saxon.

D. Pon-

D.Pontano, nunc propugnatam sententiam. Verum deinde, pensiculatis, maturiore per ætatem judicio, pluribusque oblatis Autoribus, de Saxonis, circa hanc rem, mente magis dubitasse. Nunc
NB. „ præsertim, cum videam Thulenses Saxonis, de Telemarchicis Norvegiæ, cæterisque Boreæ populis, ab ipso Pontano exponi: in hac etiam ipsâ disputatione, de Saxonis sententia, contra Cambdenum agente; pag. sua 748. Et profecto, si penitius res attendatur, videri poterit Saxo, mentem, circa quæstionem illam, de industriâ occultasse, nec cum Bremense, judicium præcipitâsse voluisse, Islandiam nunquam apertè nominando: Noluisse, inquam, Saxonem isti quæstioni, sese manifestò intricare: quum in præfatione Daniæ, terram glacialem ponendo; æquè facilè, Thulen dixisset; quia & ibidem anteà Thulenses vocâsset: unde diceret quispiam: aliam à terrâ glaciali, Thulen habuisse Saxonem. Et Histor. Dan. l. 8. Thules & Thulensium meminit, nullo manifestiore (dico MANIFESTIORE) indicio, ipsum de Islandia, vel Islandis esse locutum. Quocirca, de Saxonis sententiâ, non aliter hic explicatâ, disputationem, vel inquisitionem ulteriorem omitto: præterquam quod suam mentem contra Cambdenum Pontanus, quomodo ex Saxone, tueri conetur, liceat expendere. Inter alios Autores, quibus Thulen non esse Islandiam Cambdenus contendit; etiam Saxonem commemorat: à quo Thyle, inter Normanniam, sive Norvegiam, & Scotiam ponatur. Quod ipsum à Saxone factum Pontanus inficiatur his verbis. Quod autem negari, à Saxone Gram. addat (Cambdenus) Thulen esse Islandiam, „ ac refragari eum, id asserentibus; id apud Saxonem deprahendere, nec dum potui, & magis contrarium liqueat, si inspiciatur, præsertim liber ejus. 8. ubi quendam ultimæ Thules incolam, Blendium, nominat. Ac statim enarraturus ibidem, navalem expeditionem, quam Rex Danorum, Gormo, fama Thulensium incensus, duce Thorkillo, instituit; eos Thulenses, Vir clarissimus Andreas Vellejus, qui Saxonem vernaculè reddidit, Islandos interpretatur. Quemadmodum & Thylenses, idem Saxo, initio ferè præfationis suæ ponens, eos Saxis inscribere monumenta suetos; eosdem Vellejus quoque Islandos red-
N. „ dit. Quamvis ibi Thylensium vocabulum, latius fortasse accipi, & Tylemarchi Norvegiæ, cæterique Boreæ populi, possint intelligi. Ita D. Pontanus; qui vicissim hoc ultimum (Islandos à Saxone

Saxone vocari Thulenses) his verbis, reciprocè negare, videri poterit. Nam quid Islandiæ cum Telemarchia Norvegiæ? Nonne toto cælo distant? Oceano similiter & terris.

Ast videatur, qua ratione Cambdeno, Saxonis autoritatem, „ Pontanus deneget. Contrarium ait liquere, ex lib: 8, & initio „ Præfationis Saxonis. Libro quidem 8. Saxo nominat Blend. Brandmicæ cognomine dictum (vocabulis nulla nostrarum Antiquitatum indagatione repertis) ultimæ Thules incolam, & inter Harald: Necessarios recensitum. At ex ultima Thule, quam longinquum fuerit, Regios necessarios, ad ejusdem nutum, sæpius accersere & evocare. &c. Inde Thyles fit mentio, ex qua bellatores acciti sint. Esto, ut se sic omnia habeant, sed quid hæc ad Islandiam? an quia Thule vocetur ultima? Certe ex hoc Adjecto, Thule non arguitur esse Islandia, quod videlicet Islandiâ ulteriores, non paucæ deprehendantur insulæ, ut infra videbimus. Cæterum Andr. Vellejus, ille Saxonis interpres, tam hoc, quam præfationis memorato loco, Thulenses reddidit Islandos! Resp. Aliud est Saxonis, aliud Velleii Autoritate pugnare, quæ quo loco habenda sit, mox declarabitur. Nusquam Saxo se ipsum exposuit, sed ejus interpres ipsum. Qui duo non sunt ejusdem valoris. Invertitur Arg. ex lib. 8. Saxon. & ab autoritate Velleii. Responf.

Nam quod perhibeantur Thylenses, Saxis monumenta sua inscribere sueti; præfatione Saxonis &c. & illud per consequens videatur D. Pontano, Islandis, à Saxone tribui &c. mera est petitio principii. Nondum enim convicit Pontanus, Islandos & Thylenses, pro Islandis haberi; positum hoc est, à Pontano, non convictum, inquam, quamvis argumenti loco, pro affirmativâ quæstionis rapiatur. Quid? quod ne Thulensibus quidem, illa Saxorum inscri- „ ptio, à Saxone adsignetur; sed ipsis Danis: Locus est manife- „ stus. Non ignotum esse volo (inquit Saxo, præfationis ferè „ initio) Danorum Antiquiores, conspicuis Fortitudinis operibus „ editis, gloriæ æmulatione suffusos, Romani stili imitatione, non „ solum rerum à se magnifice gestarum, titulos, exquisito con- „ textus genere, veluti poëtico quodam opere, perstrinxisse; ve- „ rum etiam majorum acta, patrii sermonis carminibus, vulgata, „ linguæ suæ literis, Saxis & rupibus insculpta curâsse. Quibus (sc. „ Danis, non Thulensibus, ut est ex contextu manifestissimum; „ nedum Islandis) tametsi Romanæ vocis notitia abesset, tanta, „ tradendæ rerum suarum memoriæ, cupido incessit, ut volumi- Alia Responf.

„ num loco, vastas moles amplecterentur, codicum usum à cautibus mutuantes. Hæc Saxo, de Danis, non Thulensibus, quæ si Thulensibus à Saxone tributa fuissent; etiam hoc indicio, Thulenses discrevisset ab Islandis; quibus id, de Saxis, res gestas majorum inscriptis, neutiquam assignari poterit. Cur enim laus immerita agnoscenda est. Cippi quidam, sed valde rari, nomen præter defuncti, nihil habentes, istius deprædicationis, nihil prorsus merentur, nec recipiunt. Hinc cum Danorum suorum diligentiam, codicum usum, à cautibus mutuantium, Saxo extulisset; ad Thylenses sese laudandos convertit; dicendo. Nec Thylensium industria silentio obliteranda est &c. Post quos Thylenses, multis paragraphis (parasangis ferè scripseram) totius Daniæ, Succiæque & Norvegiæ, situ interjecto; tandem addit: Ab hujus [Norve-„ giæ nempe] latere Occidentali, Insula quæ glacialis dicitur, ma-„ gno circumfusa reperitur Oceano: obsoletæ admodum habitationis tellus &c. eaque suo quodam modo, à Saxone descripta. Quæ quum ita sint, de autoritate Saxonis, Cambdeno negatâ, ipsi minus satisfactum arbitramur. Sequitur de Autoritate Andreæ Velleii.

XI. Thule Andreæ Velleii, non Isl. sed Thelemarch. Norveg.

Quantum ad Andream Velleium, is à D. Pontano, quantumvis verè, tamen frustra, pro Quæstionis affirmativâ allegatur; ut maxime Thulen & Thulenses, Islandiam & Islandos interpretatus sit. Nam quid Vellejus, de Thule & Thulensibus senserit, ex præfatione ejusdem, in Histor. Eccles: Bremensem, conspicuum est. Cel-„ santibus itaque persecutionibus, inquit Velleius, crevit Eccle-„ sia Dei, in his terris; passim dilatatis ipsius pomæriis, non tan-„ tum ad Thulenses, sive Thelemarchicos; sed & ad Islandos & „ Grónlandos &c. Quis, quæso, manifestius fecerit, inter Thulenses & Islandos, ac proinde inter Thulen & Islandiam, discrimen? similiter, cum jam scribendæ Hist: Dan: provinciam Velleius suscepisset; ex professo, quantum memini, hanc tractans quæstionem, in eandem concludit sententiam, edito ejusdem Historiæ Dan. prodromo: quem eundem prodromum velle, hunc nostrum Velleium existimo, in epistolâ, ad Magnif. Dn. Hvitfeldium, ad calcem Histor: Ecclesiast: Bremens. excusâ, dicendo: *De his egi fusius, in Commentario meo; de ratione scribendæ Historiæ patriæ, quod nuper, ante profectionem vestram, obtuli Dn. Cancellario &c.* Dat. Hafniæ 24. Octob: 1578.

Ista

Iſta igitur Andr. Velleius, quæ in referendâ ipſius, circa Thulen & Islandiam, contra mecum facientem Gul: Cambdenum, ſententiâ, diſſimulata nollem: Optaſſemque prius, cum Scriptore & & Hiſtorico Indigenâ, nempe Velleio, in gratiam fuiſſe reditum, quam in meum Fundamentum, etiam propter Velleii autoritatem, & interpretationem Saxonianam, ſubruendum, cenſoriâ ſtringeretur Virgulâ. Et quum jam contra Cambdenum (ac proinde Arngrinum) in quæſtione controversâ, Velleius, D. Pontano, pro ſuâ affirmativâ, idoneus interpres fuerit; cur non etiam mihi, & qui mecum, non pauci faciunt (tam diſertè abnuendo) pro noſtrâ negativâ, optatus promachus habebitur?

Præter allatos, qui ex Recentioribus idem mecum in controverſiâ, Annalium noſtrorum patrocinio, adhuc ventilandâ, ſentiant; Krantii & Peuceri, meminiſſe ſoleo: uterque autem à Pontano, aliter explicatur, quam Cambdeno viſum eſt. Nam 1. Negat Krantium, ex ſuâ mente, diverſas facere inſulas iſtas, Thulen & Island: ſed ex opinione Nicolai cujuſdam Germani. Krantii igitur verba Pontano citata contemplemur &c. *Illum videlicet Nicolaum, Thullen collocare, inter Scotiam & Norvegiam.* Deinde, (quantum ego capio) ipſum Krantium addere. *Ea vero quam diximus Iſlandia, longe eſt extra circ. Arcticum.* &c. quæ Krantii verba, & non iſtius Nicolai agnoſco; ita ut Nicolaus illic de Thule; Krantius de Iſlandiâ, quæ ipſi à Thule diverſa, locutus ſit, quamvis ſitum Islandię, cum pluribus, non ſatis exactum, ponat. De quo mihi cum illis, vix aliqnid eſt commune; ſatis habenti, quod alienam à Thule, Islandiam ſtatuant; uti ſoleo proteſtari. Vix enim invenies plures, hic idem ſtatuentes, qui, quum propriâ experientiâ non nitantur, rarò conſona tradunt &c. ita, ut certitudo illinc erui poſſit.

D. Peuceri ſententiam (Islandiam, à Thule diverſam facientis) à Doct. Pontano, reſpondente ad Cambdeni opinionem, expoſitam, non equidem capio: nempe, quod Peucerus, (cujus fidem „ imminuere, Cambdenus, non auſit) Thulen faciat Hetlandiam „ [Schetlandiam] eâ de cauſâ: quia Thelemarchiæ vel Thules „ ipſius aſpectu, ſic ſit appellata. Vbi interim haut negligendum videtur, quod Thelemarchiam D. Pontanus Thulen vocitet, ut & alias, cum Velleio, ac aliis, conſentaneè. Neque vero præterea ſatis capio, quod Pontanus aſſerit, nihil ad rem facere, aut nullius eſſe momenti, quod Solinus Thulen inter Norvegiam & Sco- Thule Peuceri.

tiam collocet &c. Manifestum siquidem est, ibi ~~enim~~ non repertum iri Islandiam. Qui igitur ad rem non faciet, si Solinus, alias scriptor Classicus audiens, cum Krantio, Nicolao & ipso Peucero, cui, ut dictum est, Hetlandia est Thule, veri sint Autores? Cum etiam Pontanus dicit Thelemarchiæ sive Thules aspectû (quamvis id modo fuit) Hetlandiam à Peucero Thulen statui; quid, quæso aliud dicit, quam Thelemarchiam esse ipsissimam Thulem, cum Velleio, ut attigi; & Ortelio? Thelemarchiam vero esse Islandiam, quis scribere aut pronunciare, præsumet? cum latitud: autem Hetlandiæ, à Pontano ascriptæ, gr. 60. & aliquot minut: aliis ut puto gr. 61. 10′. ut etiam aliquid dicam; non tam longe illa abest, à Thules Ptolemaicæ lat: gr. 62. &c. quam hæc à latitud: Islandiæ, gr. 65. 44′. ut appareat Ptolemeum nihilo propius, ad Islandiæ lat: accedere, cum suâ Thules, lat: minimâ, quam hos Peucerum & Cambdenum ad lat. Hetlandiæ. Et cum nolit D. Pontanus p. 752. stricte cum Ptolemeo agi, de Thules & Orcadum lat: unde hic rigor Peucero & Cambdeno debebitur?

Thule Cunradi Celtis.

Ventum nunc est, ad Thulen Cunradi Celtis, Peucerianæ subjungendam; licet quâ tempestate, is Autor vixerit, me lateat; ejusdem sententiam, inter Saniores, non minimi momenti, ex ejusdem Hodæporicis, huc referre, visum est. Sic autem cecinit ille Celtes.

Tempus erat, niveas dum cælum spargere plumas
Incipit, & nubes conglomerare vagas:
Phœbus ad hibernum, dum flectit lumina caprum,
Qui noctis spacium majus in orbe facit.
Tunc ego qui fueram, peregrinus in orbe, decennis,
Cogor ad Arctoum, pergere forte sinum:
Orcadibus, quâ cincta suis Thyle: & Glacialis
Insula, ad extremum, quam videt ursa, polum.

Et paulo post.

Est locus Arctoo, qua se Germania, tractu
Claudit, & in rigidis, Thyle ubi surgit, aquis
Quam juxta infames scopuli, & petrosa vorago
Asperat undisonis, Saxa pudenda, vadis:
Orcadas has memorant, factas è nomine Græco,
Atque has perjuris, exilium esse, Diis.
Accola mutato, quos dicit nomine Drollos &c.

Forte leg. Trollos.

Et hæc quidem Celtes. Orcadum &. Tractuum vicinorum, ipse

αὐτόπτης

αὐϑόπτης; cujus suffragium, de situ Thules urgeo. I. Quod Orcadibus cinctam dicat; ad mentem & sententiam saniorum scriptorum, idem vero de Islandia, quis pronunciabit? II. Quod Thulen, tractui Germaniæ, vel termino Boreali, seu Arctico, confinem faciat, id vero, quis sanâ mente, ob immensum interfluum Oceanum, de Islandiâ, dictum à se velit? III. Quod Islandiam faciat Arctico ferè subjectam. De Orcadibus vero & his cinctâ Thule, quis idem, ullo veritatis patrocinio statuet? IV. Quod Thulen dicat; & Insulam glacialem; ut Poëta; dicens: *Multum ille & terris jactatus & alto*, Terras & Mare, per voculam, ET satis disjunxit, & disparavit (ut infinitis aliis fieri videmus) nisi terræ & altum idem sint, ita huic Autori; Thule; & insula glacialis.

Quum vero etiam tibi Abrahame Orteli, de literis bonis bene merito, in hoc freto Thulensi natandum esse videam, cum pluribus unâ; qui quod Thulen & Islandiam diversas terras fecerint, causam dicere coguntur, reique aguntur; absit ut te insalutatum relinquam, quin potius veræ, de Thule & Islandia diversis, sententiæ assertorem, gratus excipiam. I. Primum itaque contra Ortelium, à Pontano, non satis assumtum videtur: quod Thelemarchia non sit insula, sicut ipsa sit Thule &c. Quum quandam Thulen non esse insulam, ex hac præsenti collatione Autorum (ac inprimis, de ipsius Pontani ut vidimus & adhuc videbimus, mente) emergat. 2. Deinde, quia ipsam Thelemarchiam, Thules nomine, quandoque venire, à Pontano doctum & confessum sit, loco non uno. Sed (ipso interprete) angustâ & strictâ acceptione Thules, vidit Pontanus sibi potissimum opus esse; quà Thule non nisi Islandiam denotet; propter tempus Islandiæ primum habitatæ; quò Annales Island. infringantur validius. Nihilominus Veritas, ut profunde lateat; vel Adversariorum confessione; sæpe enatat & emergit. Et nos ex genuinâ Thules descriptione, à D. Pontano, syncerè nobis porrectâ, verum, aut vero proximum, eliciemus, etiam eo fine: ne sit Ortelii, de discrimine aut diversitate Thules & Islandiæ, in totum absurda sententia. Thule Orteliana.

Ea autem Pontani descriptio extat pag. 685. ex Veterum monu-„ mentis circinnata, ac minimè ambigua; dicentis; Thules vo-„ cabulo Autores classicos fuisse usos; ORAM aliquam, [intelligo, CONTINENTIS alicujus, ut est Thelemarchia „ Norvegiæ] INSVLAMVE, Boream versus extremam, indicante.

dicante. Suique similis est, D. Pontanus, pag. 754. dum illud Claudiani ——— *Nostro procul orbe remotam,*

Insolito belli tremefecit murmure Thulen &c.

,, Sic explicat; Voluisse illum [Claudianum] Insulam aliquam, ,, vel locum [licet non insulam, sicut modo, Oram aliquam dicebat] à suo axe, quam maximè remotam, indicare, &c. Sic D. Pontanus: sicque proinde alii Poëtæ, de ultimâ Thyle, exponendi veniunt. Ex hac porro Thules descriptione D. Pontani, ut succinctâ, itâ nervosâ & concinnâ, non malè infertur, ac tanquam paraphrasticè colligitur, Non aliquo certo situ, Thulen à Veteribus collocatam, sed ut quælibet ora alicujus terræ, vel etiam per se insula, hoc vel illo ævo, ultima, cognita sit, eam Thules nomen & vocabulum meruisse. Sicque Thules nomen Appellativum (ut Grammatici loquuntur) evasisse; non uni alicui terræ vel oræ proprium vel perpetuum. Sic quoque forsan Ptolemæus videatur sui ævi Thulen, delineare voluisse, situ non uno, sed vario, ut supra. Sic Fortunatus, uti cum Virgilio, dixit ultimam Thulen, ita cum eodem, vocavit Britannos, toto orbe remotos, i. e. ultimos: ibidem, ultimo loco posuit, uti ex Epigrammate completo, manifestius est. Quod tale: De Divi Hilarii Episcopi Pictavorum, in Aquitania, eloquentiâ agens, quem virum S. Hieronymus vocat tubam Mundi, Deucalionem Orbis, & Romanæ eloquentiæ Rhodanum.

Thules nomenclatio, veteribus appellativa, teste Pontano.

Eloquii currente rotâ, penetravit ad Indos,
Ingeniumque potens, ultima Thule colit.
Sol radio, hic verbo, generalia lumina fundunt;
Montibus ille diem, mentibus iste fidem.
Thrax, Italus, Schyta, Persa, Indus, Geta, Daca, Britannus,
Hujus in eloquio, Spem bibit, arma capit.

Vtinde, vanus non sit, si quis dicat, aut ipsam Britanniam, aut Britanniæ insulam aliquam (cum Plinio) fuisse & Virgilio & Fortunato, per, divisos toto orbe Bitannos, & ultimam Thulen, intellectam.

Hic jam tandem protestor, ex Autoribus, pro Negativâ Quæstionis, circa Thulen & Islandiam, controversæ, productis; id solum me amplecti, quod Thules & rem & nomen Islandiæ deroget, ab eaque prorsus removeat; Ast de situ Thules, me nihil laborare: ne forte, in talem aliquem labyrinthum incidam, quem nonnulli,

nulli, sagacis ingenii fiduciâ, vitare nequiverunt, Paradisi vetustissimi, locum vel situm, sollicitè inquirentes; dum alii Paradisum ubique collocant, & loci naturam & qualitatem, non locum certum denotâsse rentur: Alii sub Arctico polo eum fixum volunt. Alii sub æquinoctiali, in Zonâ torridâ circumscribunt. Alii Oceano à reliquis terris secludunt, insolitaque altitudine, ad lunarem usque globum, elevant. Alii allegoricè interpretantur. Alii aliter. De quibus opinionibus diversissimis, disertissimus P. Spormannus me admonuit, cujus etiam fere verbis, hic utor. Veterum &c. Labyrinthus circa locum Paradisi.

Hujus labyrinthi Paradisiaci exemplo, monitos volo, nimis anxios Thules inquisitores; ne tandem in labyrinthum Thulensem demergantur: cumque Sinesio, dubitare cogantur; an aliqua sit Thule? vel cum Gyraldo exclamare: Thulen nusquam comparere. Vel tandem Gasparis Varrerii Lusit: confessionem edere, ut, videlicet, quemadmodum is de Paradiso; Sic hi de Thule, mentem suam declarent: ubique Thulen extitisse (quò, fallor ego, quin Pontani Thules Descriptio, nisi sobriè intellecta; ut supra, inclinet) & loci Naturam, qualitatemve; non terram, aut locum, denotasse. Nisi enim caveant; mox audient: Qui ubique est, nusquam est, & sic Gyraldi opinionem, suam faciant, quo sensu si pergant; cum larvis luctari videbor. Interim, in gratiam Plinii, & ipsius asseclarum; insularum Britannicarum aliquam, vel ultimam, in Ditione Scoti (indifferenter de his loquendo) Thulen statuentium; non dissimulabo; habere eosdem Historiam RR. Norveg. Sibi astipulantem, in vita Magni, Danico cognomento *Barfod.* Norvegic. *Hinn Berfætte.* quasi nudus pedem. celeberrimi Norveg. Regis. Is enim facta in Orcades, Hebrides, simulque in Scotiam & Britanniam, expeditione, insulam Thile, attigit & subegit. De quo (Chronicon Dan. editum, Sic habet, pag. 393. *Der effter lagde hand (Kong Magnus) til den Ø. Ilar eller thile, och Indtog den.* 1. Sinesius. 2. Gyraldus 3. Gasp. Var.

Semel autem satis est monuisse, Tilen, Tylen, vel Tulen; nunc adspiratum, nunc absque aspiratione, in Antiquitatibus nostris, ejusdem fieri. Cui, si quis minus acquiescat (postremo sc: Thules, vel Thyles aut Thiles indicio) discursum abrumpens Thulensem; atque ex litis hujus nassâ prorumpens; aliis circum eandem lusitantibus, & ingrediendi cupidis, locum dabo; ad id quod propositum fuerat, viam mihi straturus.

PARTIS II. SPECIMINIS ISLANDIÆ

MEMBRVM. II.

De Diplomatis Principum &c. contra tempus primæ habitationis, Islandiæ, productis.

MONITVM est, Partis hujus II. initio; D. Pontanum, quum satis maturè animadverteret, Veterum sententias, de Thule, (ut & Recentiorum quorundam) coactè & contra rei naturam, ad Islandiam contortas, non sufficiens argumentum fore, ad convincendum Thulen vetustissimam, esse Islandiam; sibique ad hoc obtinendum, aliis opus esse fulcris; protulit Diplomata quædam Principum; quæ si sint authentica; Islandiam fuisse 40. tantum annis (plus minus) antea habitatam, quam Nostræ perhibent Antiquitates, convincere possunt. Sed propterea nihil minus obtinebit, quam Islandiam esse Thulen vetustissimam. Qui tamen Status est Quæstionis affirmandæ vel negandæ, in nostrâ, circa Thulen & Islandiam controversiâ, ad meum de habitatâ primum Islandiâ, diruendum aut stabiliendum Fundamentum; ut hactenus satis patuit. Quid igitur in tam dubiæ controversiæ aleâ, Pontanus inceptarit; Quid consilii, ad priorem de Thule conflictum, redintegrandum, adhibuerit; hoc Partis II. Membro II. dispiciendum est. Nempe, mutavit (Mutavit, inquam) Statum Quæstionis; utrum Islandia sit Thule? & alium substituit. Vtrum Islandia sit ante Annum 874. habitata? Quod ille bonus vir, si ex Principum Literis, obtineat modò, de Fundamento meo, in Crymog. jacto, actum, conclamatum & triumphatum esse, sibi persuadet & gloriatur. Pensitandis autem ipsius, ex mutato Quæst. statu, tribus præcipue conclusionibus; ejusdem verba, primum adducenda; inde commentanda veniunt. Deinde literarum seu diplomatis Principum apographa, à Pontano exhibita, consideranda sunt: & si his responsum dandum aliquod, animo subveniat, cum Lectore candido esse communicandum existimavimus.

Status Quæstionis principal.

Hic Status à D. Pontano mutatus.

maximus. Nam membratim singula, initio hujus orationis, secare, minus necessum fuerit.

Verba sunt Pontani; in eodem hoc discursu: Quibus concludit- De. I. Conclusio. I.
„ I. Ante Annum 874. Islandiæ; non tantum inditum id nomi-
„ nis; at celebratam, eo nomine fuisse insulam: subrutumque
„ jacere, quo hæc [de Islandiâ 874. primum habitata] innixa
„ sunt, Fundamentum. II. Altera conclusio multo ante Flocco- II.
„ nem [nobis Flokonem] qui primus sc: nomen dedisse Islandiæ
„ memoratur, & notam & nominatam & habitatam fuisse Islan-
„ diam. III. Satis habere se; Fateri postremo Arngrimum rue- III.
„ re Fundamentum suum, Si ostendi possit, ante Ann. 874. & Triumphus D.
„ notam & nominatam & habitatam fuisse Islandiam. Quod cum Pontani,
„ (inquit Pontanus) à nobis plene jam perfectum existimamus, de Arngrimo,
„ hic quoad ista subsistimus. &c. pag. 754. De hoc D. Pontani, alias sed ut
longè humanissimi, quodam quasi animi excessu, primum non spero;ante victoriam cantatus.
conqueri, non possum; injuriaque, in meis ex Crymogæâ allegan- Resp⁹.
dis, fide minus accuratâ. Nam ut aliquid in subsidium mei Funda- Responsf.
menti ab ipso, hoc ariete demoliendi, promam, ex tribus Pontani conclusionibus; tria etiam notanda & repetenda duxi. I. de notitiâ. II. de nomine. III. de primâ inhabitatione Islandiæ; nequaquam meo damno confundenda. Et I. quidem de notitiâ sive notâ, ante Annum 874. hac insulâ; illud diversorum temporum respectu, & negari, & rursus concedi potest: Negatur equidem, ab Islandia
ævo prisco; Augusti, inquam, Vergilii, & scriptorum aliquot, quomodo ante
anterioris, ut & posterioris sæculi, quibus temporibus Thule satis An. 874.
innotuerat: ast Islandia penitus ignota fuerat. Ast vicissim, ali- non nota; &
quanto, ante eundem Annum 874. temporis spacio, Islandiam in- etiam
notuisse, nunquam & nusquam negavi. (unde de Confessione, nota dici possit.
quam Pontanus mihi, tertiâ suâ conclusione tribuit; quid statui debeat, liquebit) Imo affirmaveram potius: dum ab inventoribus (diversis cõsequenter annis, ante Annum istum an. 874. diversis quoque inditis nominibus) in Norvegiâ, ac proinde, per vicinas septentrionis oras, deprædicatam fuisse Islandiam, edocui. II. Conclusio Pontani, de Islandiâ, ante dictum 874. nominatâ, idem feret responsum, ex meâ trium Appellationum Historiâ; idque ante Annum 870. nedum 874. A Flokone igitur inditum Islandiæ nomen, nusquam ad annum 874. restrinxi, ac ne restringere quidem potueram: diversum hic loquentibus Annalibus. Quamvis

igitur, in contextu, ex Crymog. apud Pontanum, pag. 753. hæc
„ verba legantur [Et à Flokone piratâ, primum circa tempus jam
„ dictum, Ann. sc. 874. (ut est in margine quoque ibidem) Islandia
sit nuncupata.] protestor tamen, illa non mea esse verba: nec in
exemplari; sive Hamburgensis, sive Lugdunensis editionis; repertum
iri: quocunque demum pacto, in contextum, ex Crymogæâ citatum, ut dixi, in Pontani tractatum, jam extantem, irrepserint. De quo Pontani Amanuensis, & Typographicus corrector viderint. Vtut vero, res illa se habeat, certè ex illo supposito loco, verbisque tanquam meis; sed non meis; sententia quoque, ut mea; ast interim hac in parte non mea. [De non notâ, nec nominatâ, ante ann. 874. Islandiâ, mihi pag. Pontani 753.] affricatur; in hunc
„ modum. Ast obstat, inquit D. Pontanus, vel maximè: quod ad
„ annum usque 874. inculta jacuerit Islandia [Hæc ferè mea sunt
„ verba; Non quæ sequuntur] & eo tum demum temporis tra-
„ ctu, nominis illud acceperit insula. Proinde, quicquid de notâ minus, nec ante nominatâ (ante sc. Ann. 874.) Islandiâ, à D. Pontano conclusum est; contra meum illud Fundamentum, conclusum non est. illudque hac parte subrutum minimè jacet.

Object. Cæterum objicitur, quod Floko *Primum*, Islandiæ nomen finxisse perhibeatur &c. sc. in Crymog: referente Pontano. Respondeo, ex Annalibus non posse doceri, quo potissimum Anno, ante Ingulphum &c. Floko Islandiam attigerit, licet paulo superius aliter Pontanus. Esto autem, ut etiam circa annum 834. ab aliquo nomen acceperit Islandiæ, hæc insula; Nego tamen à sola appellatione, ad inhabitationem valere consequentiam: Non siquidem istæ [appellatio & inhabitatio] mutuo se tollunt & ponunt. Quod licet omnes concedant, exemplo tamen sit GRISLANDIA, circa Annum Christi 1380. nondum habitata, quamvis in hoc Oceano reperta, nomine, magnitudine & situ, satis nota, testante Historia Navigationis Fratrum Zenorum, apud Pontanum. Porro objicitur. Flokonem Islandiæ nomen finxisse &c. Inspiciatur locus in Crymogæa, qui sic habet. A glacie, Floko, tertium finxit, Insulæ nomen Island. &c. Et illud (Primum) ex Crymogæâ citatum; in Crymogæâ non extat. Poterant autem ante Flokonis ævum, piscatores vel piratæ, paulo inferius commemorandi, in litore Islandico hæsisse; & eâdem occasione quâ Floko, glaciei circum litora fluitantis, idem nominis indidisse; quod Flokonem latuerit. Et ille à glaciei ista mole, idem quoque

Grislandia.

nomen,

nomen, impoſuiſſe, feciſſe, finxiſſe inſulæ. Res itaque abſque illo [PRIMVM] adjecto, ſalva eſt. Ego vero quum Principum tabellis (de quibus mox plura) cauſa noſtra nimium aggravetur, ita, ut de ſubruto meo Fundamento, epinicion cani cæperit, peto ſyncerius mecum agi, quam locis jam duobus, (aut ſi plures forte occurrant) quos corruptos queror, ſive Amanuënſis, ſive Operarum T. culpâ: ne (quod illis debetur) hæc faba in me cudatur. Poſtulatum Arngrimi.

Supereſt tertium concluſionis Pontani membrum, de habitatâ ante Flokonis ævum Islandiâ, quod ille 874. Anno deſignavit: Ego ex Annalibus, certum conſtitui non poſſe, teſtatus ſum. D. Pontanus, in hoc totus eſt, ut doceat Iſlandiam, multo ante toties allegatum An. 874. fuiſſe habitatam. Non ſubticuit autem nec diſſimulavit Crymogæa, ante Iſlandiam, à Norvegis, ad habitandum occupatam, fuiſſe piſcatores, ſive ex Irlandiâ, ſive aliunde (ſuggerentibus id Annalibus) qui non continuo tempore longiore, vel Annos totos; ſed ſingulis Annis, menſem unum aut alterum, in litore Iſlandiæ Orientalis hæſerint. Qui tamen ab adventantibus Norvegis, nec viſi nec auditi ſint: ac interim Chriſtianorum ſacrorum (quibus ſe jam tum imbutos, profeſſi Irlandi perhibentur) quædam monumenta, poſtmodum à Norvegis hic reperta (puta, nolas, cruces ligneas, libellos idiomate Irland. & neſcio quid) tempeſtate forſan improviſâ, abacti, reliquerint: aſt habitationum veſtigia nulla. Quod & alias inſinuatum. A quibus interim piſcatoribus Irland: vel ejuſdem viciniæ, inſula Orientalis Iſlandiæ perexigua, litori ferè adhæreſcens, dicta ſit Papey, quod peregrinos iſtos. Norvegi. jam facti Iſlandi. Papa. vocitarint: de quo, cui placet, videat Crymogæam. Confeſſionem mihi hic adſcriptã, in membrum hujus 3. rejicimus par. tis II. Piſcatores Irlandi, in Iſlandiæ nondum habitatæ, litore hærẽtes.

De piratis, etiam in Iſlandiâ, nondum habitatâ, ſubſiſtentibus, doctiſſimus Dn. Petrus Vndalenſis, in deſcriptione Norvegiæ Danicè editâ, ſuggeſſit quod ſequitur: Ejus enim verba, bonâ fide, ex „ Danico exemplari tranſlata, huc viſum eſt apponere. Creditur, „ inquit, Piratas aliquos, ante habitatam Iſlandiam, illuc receptum „ habuiſſe; Aſt ad eandem incolendam, ante Norvegorum acceſ- „ ſum [de quo temporis articulo, ex ſuis, ſive Norvegorum An- „ nalibus, idem Vndalenſis, planè nobiſcum conſentit] animum & „ audaciam, nulli attulerunt. Hæc Vndal: Quis vero ex piſcatorum ſpecubus ſubterraneis, quales in illâ eorundem Narratiunculâ, memorantur; aut ex lapidibus, pro foco, in litore congeſtis; aut ex Piratæ in Iſlandiâ nondum habitatâ.

piratarum quibusdam stativis, aliquo Anni tempore, in sicco etiam litore habitis, alicujus terræ inhabitationem, & culturam, inferre, jure possit?

Nihilo minus bonus Ansgarius, famâ & forsan appellatione (quia de Nomine & appellatione D. Pontani aliquid interest) talis Islandiæ persuasus, Opinionem de eâdem jam tum habitatâ, aut brevi habitandâ; animo concepisse poterat: atque ex illâ opinione tali, petitionem suam ad Principes, de privilegio (quod ab ipso Ansgarianum, in hoc discursu appellabimus,) propagandæ, etiam in Islandiâ & Gronlandiâ, Christianæ Religionis, ab Imperatore & Pontifice Rom. obtinendum informasse. Literæ autem privilegiales illæ, sunt Diplomata bina (si tamen Diplomata; quæ signa Principum includunt, & obsignationem; quorum nulla fit in Apographis, harum literarum mentio, apud Pontanum) Vnum Imperatoris Romani Anno 834; alterum Pontificis Rom: Anno 835. Quibus Ansgario Episcopo Hamburgensi, in regionibus Septentrionalibus, fit Euangelizandi potestas; inter quas terras Islandiæ & Gronlandiæ (sive quod idem est) Islandorum & Gronlandorum, mentio, nominatim facta est &c. Hic magno asterisco notatum velim, Quod in suis literis formandis, (de quibus nunc sermo est) Pontifex instructionem Ansgarii, confessus sit. *Nos*, inquit Pontifex, *instructi præ-* NB. *sentiâ fratris, filii nostri Ansgarii* &c. Et quamvis Religionis propagandæ, in Septentrione privilegia illa obtinuit Ansgarius, voluisse interim suæ sollicitudinis famam extendere, Islandos & Grónlandos nominando, nullus jure iverit inficias. Atque hinc est (cum iis quæ sequentur) quod ex tabellis istis, licet Titulum Principum præferentibus, & Islandorum nomen continentibus, de Islandiâ Anno 834, vel antea habitatâ, minus necessario, contra Annalium N. fidem, concludi existimemus. Nam quum etiam, eadem hæc diplomatum Apographa, Grónlandorum nomen habeant; constat tamen Orbi magis Arctoo, Gronlandiam, Islandiæ vicinam, ad Annum usque Christi 982, nullum humanum cultum, ne dum Religionem Ansgarii auspiciis indagandam, admisisse: Nisi cum Annalibus etiam Chronicon RR. Norvegiæ, malæ fidei crimen luere debeat. Dico autem Grónlandiam, illam Islandorum coloniam, & sic Islandis primum, deinde Norvegis, nuncupatam, & in qua utrique sua commercia, suos notos & natos, sicut etiam alios consanguineos habuerunt; quæque ab Islandis primum inventa, & occupata est. Non vero eam, quæ

alis

aliis Engrónlandia & Engrouvelandia, Scriptoribus est indigetata (ne quis erret) toto enim cælo distant: quod promptum foret monstrare. Sed vito digressiones hactenus, dum infra, de Grónlandiâ, seorsim aliquid dicendum se offerat. Perpendat vero cordatus Lector, num propter unius Ansgarii, ab ultimis Galliis (Pontanus) ad docendum accersiti, instructionem, ad Principes &c. per quam, præconcepta opinione (de Islandiâ & Grónlandiâ, jam tum, ut is confinxerat, habitatis) privilegium Religionis Christ. in istis terris, nondum habitatis (ut cum Annalibus N. tota Septentrionis plaga, attestatur & proclamat) propagandæ; ab Imperatore & Pontifice expiscatus fuerat; Antiquitates nostræ & Norveg. perpetuam lituram mereri debeant (id quod ex D. Pontani, incæpto & intentione, sequi videtur.) Et quomodo tandem Islandi, ad totius feré Europæ, res Historicas, tam Lyncei, sua, & suam illam coloniam Gronlandiam, neglígerent? de qua ipsorum diligentiâ, gravissimus & clarissimus Vidalensis iterum. Islandorum diligentia Historica; & hinc ducendum argumētum.

Offerdi, inquit, *de* [*Islender*] *icke kunde öffue sig medt nogen kriigs brug &c. da besiitte de sig paa Schrifft och dichtt. Saa haffue de i gammell tid, der paa landet sammenskreffnidt, adt skillige bóger &c.*

I. *Först, en liden* Cosmographiam.

II. *Der nést en* Chronologiam, *om alle lande och Riger i vverden, och huilcke Konger, i de besónnderligste lande*, regeret *haffner, Ind thill denn store Mand-död*, 1350. *Och besonnderlig, hvad sig i diß. Nordske lande til draget heffner, under hver deres* Pato, *och aars tall, flittig ahntegnedt.*

Den förste Historie, der findis som Biscop Isleiffer meentis adt haffne sammenskreffnidt. som vär den förste Biscop paa Island. Anno 1057. *och döde* 1080. *er om Harald Haarfager, och hans Sonner och effter kommere, Ind till Kong Magnus. S. Oluffs Sönn. Men haffner* [de rebus domesticis] *flittig Ahntegnedt i sin Chronicke deres naffn, som Innd till hans tidt vvaare komne fraa Norge och thill Islandts adt bóe, och om deres selskab: och deres landnam, det er, hvor de ere först ankomne, der paa landet. och haffetaget d sig Bóesteeder. Och hverleedis fiörde och Elffner, sund och vviger, skeer och nees, feld och Klipper, Bierg och daler, marck och eenge, och slette platzer och Gaarde, och saadane Steeder ere nefnd, aff deres naffne, som der ere först ahnkomne, aller och anden hendelsse, dennom ere thil komne paa de Steeder och platzer. &c.*

Hujus rei locuples (ut spero) testis est Historia Chorographica, priore parte Speciminis exhibita.

Der

2. *Der neſt er en Hiſtorie, ſom áre Preſt skreff hinn frode, det er vviis och vvelfornuffiig, vvell forfaren, dóde* 1148.

3. *Den tredie Hiſtorie haffner Snorre Sturlu-ſön, ſammen ſkreffuit ſom vvar laugmand paa Iſland, och dóde hen vved* 1249. *och ſinnes meſt fuldkommen.*

4. *De haffne och vvdſett paa deres Tungemaal, aff Latinen mange bóger, beſónderlig Chronicker &c. och mange ſaadanne Bóger ere och komne her thil landett* [*ſiger den Nordske Indbygger, herr Peder Vndali.*]

5. *Lige ſaa haffne de vdſatt, Fransk, och Engelsk, och andre lands Hiſtorier paa deres Maali.*

6. *Och meſte parten aff de gamle Pergamentz Laugbóger, ſom Ind thil denne tid haffner vveredbrught, her i landett* [*Norge*] *de ere ſkreffne paa Iſland.*

Biblia Iſlandica, M.Scripta, ante An. 364. [hoc anno 1641] *En VVelburdig Norsk Mand, Erick Brockenhuſs, ſom heden vved Anno* 1567. *haffde Mandals leen i Befalinngh ſagde vvdi Sandhed, att haffne ſeet, den gandske Bibel vvdſett paa Iſlendske maal, ſkreffnen for* 300. *Aar ſeden, och den förſte Bogſtaff i hver Capittel vvar forgyllt. &c.*

Hæc candidiſſimus Petrus Vndalenſis, ad commendationem Annalium Islandicorum, ſcripta reliquit.

Ad Candorem Vndal: accedat celeberrimi Dn. Doctoris Olai Wormii, maturum & exquiſitum judicium, de Annalium Island: concinnatoribus; eorumque fide & induſtriâ; Hiſtoriæ Norvegicæ, ipſius auſpiciis, Danicè nuper editæ, præfixum; tam in Epiſtolâ dedicatoriâ, ad Magnificum Dn. Chriſtophorum Vrne &c. totius Norvegiæ, ſub Regis Sereniſſimi imperio, Dynaſtam: quam in præfatione, ad Lectorem, ubi inter alia hæc leguntur. In dedicatoriâ quidem. *I bland andre ſkóne* monumenta, *ſom mig ere forkommen, om* D. Olaus VVorm. *Norges* Regentere, *achter zeg icke det ringeſte dette, ſom förſt paa Iſlendſke ſprog er befatted, aff Snorre Sturleſon, fordinn laugmand paa landett* [*Iſland*] *Och ſiden aff adtſkillige* transfereret *paa det ſprog, ſom vvy nu her i landet bruge, fleere thill Nytte och gaffn. Huilcke, adt icke ſkulle haffne det ſamme* fatum, *ſom andre ſaadane* Scripta luce digna, *ſinnes adt vvere undergiffnen, haffner zeg tagedt mig nogen vvmag thil, der medt adt maatte fuldkommeliger, end thill forne, och rett eeffter den beſte* translation, *ſom mig er thill hende kommedt conferert, med Nogle* Manuſcriptis, tam Islandicis, quam Danicis. *Menige mand thill beſt, adt komme vvdi trock &c.* In Præfatione vero ad Lectorem, quum jam de Poëtis vetuſtis, ſive viris arte metricâ pollentibus, quædam dixiſſet;

dixisset; addit. *Disse Skalderer vaare icke leetferdige spilmend, eller gemeene sangere, som mange meene: Mens fornemme Herrer, aff höye stamme och blod: medt vviisaom och forstand sonderlig begaffnede, frem for andre. Fulde deres herrer effter altiid, i krigs och feidis tid &c. meet gode Raad, subtilig ahnslage, stor vveltalenhed, och konstelige dicter. VVdi huilken de Kongernes bedriffter, liiff och leffned, paa det artigeste befattede. VVare och saa exercerede der vvdi, adt de* ex tempore, *Kunde vved artige Rim vvdsige; och chill kiende giffne hvad dennom lustede. VVdi denne konst* excellerede *Islender, frem for andre, hvor for de och saa bleffne mest her chill brugt aff Kongerre, i Danmarck Norge och Sverrig. Finge och saa deres heederlige titler, af samme bestilling: Som er adt see aff Hallfreed, vvandraade skalld. Eivinder skadaspiller. Erich Blinde skalld. Iffuer skalldaglam, och andre saaddan, huiss vviiser end nu findis &c. aff disse ere de eldste Historier vvddragen, som findis om Norgis leelighed, och Kongernes bedriffter. &c.*

Den förste som vvy befinder, adt haffue begyndt adt skriffue nogedt, om huiss som sig haffuer chilldragedt i Norge, er Are Preest, hinn fröde [natus Islandus, quod palam est] *om huilcken i fortalen paa S. Oluffs (Kong) Chronick, vviider formeldis.* Are Prest hinn fröde.

Hand [*Are Preest,*] *vvar föd, det aar, effter Kong Haralld Sugurdssons, den hardraadis fald* [*död*] *paa England, som vvar* Anno 1066. *huiss denne Are Preest hinn fröde, skreff, om Noreg och Norske Konger, det haffde hand effter Ottkels forsagn.* [sui in Islandiâ popularis] *Denne Ottkell var Hallsson aff fiide.* [Nobili prædio Islandiæ Orientalis oriundus] *hand* [*Ottkell*] *haffde det hört, aff Thorgeir Raudskiölld, som vvar een gammel och vviis Mand, och böede i Nidárnees i Norge. Den thiid Haagen zarl, hind Rige, bleff dreebt: hen ved 996. aarhvorfor det finnes mest trolig, adt denn Are Preest hinn fröde, skulle vvere* Autor *chill Kongebogen, och den adt vere den eldste skreffuen Historie, som skall megede be robe sig paa gammel vviiser, dict och forsagn, och handler om Islands, och andre öyers besetning och bygningh. som der for er och vvel verd ade lese. Den anden Bog Kaldis* Kriingla Heimsins, *skal vvere skreffuen aff Snorre sturlu-son, fordum laugmand paa Island, hand begynder sin Historia fraa Oden, som skulle medt sin Seelskab vvere kommen fra Asia denne er nu den* Chronica, *som vvy nu her frem setter, aff huilke vvi nu haffuer adtskillige* Exemplaria, *baade paa Islandske, som er vvort gammel Tungemaal, och paa Danske, som vvy nu bruger.* Hunc vero Snorronem, secundum alios, Annalium N. & Histor. concinnatores, & con- Snorro sturlæ filius.

R tinuatores,

tinuatores, Clariss. Wormius, ibidem voluit commendatum, his verbis.

Snorronis encomium. *Hvad famme vvoris snorre sturlusenn, er anlangendis somsiunes att verett* Autor *chill denne* Chronica, *effter som den er paa vvores gammel Tungemaal beskreffuen: da befinde vvy hannom adt haffue vveredt en fornemme skarpsindige Mand, som for sine synderlige dyder och* autoritets *skyld, haffuer tvende gangh vvered laugmand paa Island, Nemlig* Anno 1215. *och* 1222. *Och findis ochsaa, vvdi Kong Haagen Haagensons* Historiâ pag. 735. *adt hand haffuer hassl stor deel aff Island vnder sin gevalt. Och effter som hand for adt skillinge bestillniger, och landzens skulld, er dragen aff Island chill Noreg, medt it thill Noreg, skib.* Anno 1219. *bleff Aaredder effter* Legations *vviis brugt aff Kong Haagen Haagensson, adt forlige Kongen medt Islenderne, siden Aar* 1238. *vvar hand i Hertug Skvvles hoff for en skallderer, och vnder andre kvad hand for Hertugen en vviise, om Oden, som bleff megedt aff holden, hvorudaff Hertugen vndte hannom, sit eged skib, adt drage medt thill Island.* Item. *Medt hvad vviisdom och forstand hand haffuer vveredt begaffuedt, Kand mand icke alleen iste see, vvdaff Denne* Historiâ, *som hand medt saa stor móde, och arffuede haffuer saneked, en deel aff de gammell skallders dict, och Poëteri, en deel aff de vviiseste, deres forsagn och* Relation, *en deel aff det som hand selffuer haffde* observeret, *mens hand leffuede: Men end och saa, aff vvnderlige boger, som kaldes* Edda, *och* Skallda. *Ieg finder hans Nafn ochsaa, i bland de fornemmeste Skallders tal, flittig ahntegnedt. Saa hand haffuer ladedt sig bruge, baade i Kong Sverris, Kong Ingers Baardersons, Kong Haagen Haagensons, Haagen Galen, och Skvvle Hertuges tider; deres mandelige Idretter, medt Skalldvviisen adt beskriffne. &c.*

Sed quorsum, inquies, ista omnia, usque adeo ἀπροσδιόνυσα? sint sanè, inquam, ex parte ἀπροσδιόνυσα: non tamen totaliter. Hinc enim liquebit, quorum & quantorum Virorum, de Annalibus N. rectum & exactum judicium, unà cum ipsis Annalibus rejiciant (ne quid durius dicam) qui Fundamentum illud nostrum (de quo agitur) ex Annalium fide constructum, Ratione claudicante, subrutum eunt. Quod Fundamentum, Antiquitatum veritate subnixum, subrui; imo, nec convelli quidem poterit: quin simul tantorum arbitrum, de iisdem, censura & autoritas flocci pendatur: quo circa Annalium N. præconem vel tibicinem ipse agere nolui; quin potius tales Arbitros, ipsos loquentes inducere; quorum de Annalium autoritate nihil interest, Stet cadatve. Quique propterea, nihil ex affectu,

ctu, ſcripſiſſe, argui poſſunt. Quamvis interea, nos quod attinet; illorum nullâ ratione ſuſpectam cenſuram, nihilo minoris faciamus; quam ſi liceret ipſius Saxonis Gr. encomium, quo ſuorum Thulenſium ſagacitatem, & diligentiam Hiſtoricam perſequitur, nobis applicare. Sint igitur aliis, hæc ἀπροσδιόνυσα; ſint longiuſcule petita; non item mihi, haut ignaro; tela eminus jacta, etiam ferire; nec forſan ſemper, minus ad Iaculatoris votum, quam ſi cominus mittantur. Itaque ob hanc Annalium N. integritatem, etiam in progreſſu, multis propugnandam, Diplomatum iſtorum, ſuâ ærâ, à nobis diſſidentium, ſi αὐτόγραφα extent; commodam interpretationem (& quaſi reconciliationem) per veriſimilem, de Anſgarianâ Inſtructione, conjecturam, quærendam duxi; ut ſup. Supr. I Mox poſt Piratas in litore Iſl. incultæ hærentes.

Iſti porro conjecturæ (an veræ magis interpretationi) etiam hoc litat; Quod cum Anſgarius, ille noſtrorum Annalium *Perturbator* (ſi tabellis Principum, ſive eorundem Apographis, ſtandum ſit) Anno 864. ſupervixerit; ipſius tamen poſt obitum, laudum & laborum præco, in Hiſtor. Eccleſ. Bremenſ. nullam ab Anſgario, in Iſlandiâ aut Gronlandiâ convertendis, navatæ operæ mentionem faciat; ac interim Angarium ſuum, vel minutiſſimis conquiſitis in cælum tollat. Neque id vitio vertendum, quod peregrinationes Anſgarii, in Daniam & Sueciam commemoret, aut (ſiquidem ita ipſi viſum) pallii donatione, à Pontifice R. Anſgario factâ; ſed à ſe neglecta, in curiam vel curiones peccare noluerit &c. Sunt alia longe minoris momenti, quam ſit Iſlandiæ & Grónlandiæ, ad Religionem meliorem converſio; ac interim à Præcone Angarii, ſollicitè, & quaſi mendicato corraſa, quæ tangere non pigebit.

1. Cellam turoltz, à Cæſare Anſgario conceſſam. Sed & hæc donatio digna Hiſtoriâ.

2. Gaubertum, in conſecratione Epiſcop. ab Anſgario & Ebbone, Simonem vocatum. Magni ſc. intererat, ad fidei certitudinem Chriſtianæ, iſtam nominis mutationem, ad poſteros tranſmitti.

3. Anſgarium corpora ſanctorum, dono Ebbonis ſuſcepta, trans Albim deportaſſe; & corpus Martinini, apud Helſingſted, repoſuiſſe.

4. Sixti & Sigini, cum aliorum patrociniis, in Vrbe Hamburg collocaviſſe.

5. B. Remigii (corpus) cum docenti honore, Bremæ reſervaviſſe.

6. Sæpius Monasterium Galliæ, dono Cæsaris possessum, visitasse,
„ credo. Nam quis villam suam, non visitet?
7. Vt olim Heliæ Helisæum; ita Ansgario Rimbertum suffectum
„ esse, credimus; interim vocationis modo differre; si non aliis.
8. Ex incendio Hamburg. cum Reliquiis sanctorum, Ansgarium nudum evasisse.
9. Ransholmense prædium, matronæ cujusdam munificentiâ adeptum esse.
10. Gaubertum in Sueoniâ, repulsam passum fuisse.
11. In prædio illo, à matronâ accepto, cænobium constituisse, ibidemque Sanctorum, Sixti & Sigini, Reliquias & alia patrocinia, quæ fugiens ab Hamburg. asportaverit reposuisse. Vtinam non fœtida & vermibus scatentia.
12. Imperatori, volenti, supra Episcopatum Hamb. etiam Bremensem conferre, benè diu restitisse. &c. Non multum igitur ab his, ad convertendam Islandiam, ipsi vacabat.
13. A quibusnam Cæsaris virariis, in Episcopatum Bremens: Ansgarius introductus fuerit. &c. Neque id sine Christianæ Religionis dispendio ignorasset Posteritas.
14. Fresos, pro labore diei Dominici, ab Ansgario castigatos esse.
15. Pertinacius instantes, igne cælesti, ab eodem mulctatos esse. Quæ si Historia sit, præ reliquis hic annotatis, notanda est.
16. Xenodochium, Bremæ à se constitutum, quotidie per se ipsum visitasse, & infirmis ministrare non erubuisse &c. Pietatem & humilitatem, verè prædicatas laudamus; sed conversione Islandiæ & Grónlandiæ, potiores adeo non agnoscimus; quin illi simul, inter Ansgarii encomia, locus esse debuerit.
17. Corpus S. Vilhadi, in matricem Ecclesiam B. Petri, ab australi oratorio, quo fuerat, à Villerico deportatum, transtulisse.
18. Ibi facta esse miracula, quæ propter merita S. Vilhadi, populo ostensa sint: ab Anno 861.
19. Hoc tempore contigisse, translationem S. Alexandri in Saxoniam.

Hæc & similia, ad præconiorum Ansgarianorum, summam converrens Autor Historiæ Eccles. Brem. An fuisset conversionem Islandiæ & Grónlandiæ, ex privilegio Principum (Anni 834. & 835.) usque ad Ann. 864. superstite Ansgario, per totos sc. annos 30. secutam, aut tentatam saltem, omissurus? Nihil sane minus, quovis Arbitro. Cujus porro rei, id habendum est indicium?

cium? Ejus profecto, quam superius attigi; Curasse Ansgarium, Islandos nomine saltem, vel levi aliquâ famâ & rumore (dum in Daniâ & Suecia egisset) notos, in Diplomatis exprimi, aviditate quadam religiosâ: ut Septentrionis Euangelista, tanto majore cum posteritatis assensu, audiret. Et id quidem de Islandiâ: Ast de Gronlandiâ, tanto posterius inventa, conjectura illa locum habere non potest. Quid igitur statuendum tandem? An quod Diplomatum Autographa Islandorum & Gronlandorum, mentionem non contineant, licet in Apographis legatur? certe. Nisi hæc suspicio, quam sequentia, majorem adhuc augent in modum, penitus eximatur.

Nam & plura dari possunt, quæ huic nostræ sententiæ militent. Nicolaus enim Pontifex, qui Gregorio successerat, privilegiorum Ansgarianorum confirmator, de Islandis & Grónlandis, pisce magis mutus est. teste Histor. Eccles. Brem. Ait siquidem. Idem Papa „ Nicolaus, tam ipsum Ansgarium, quam successores ejus, Lega- „ tos & Vicarios Apostolicæ sedis, constituit, in omnibus gentibus, „ Danorum, Sueonum & Slavorum, quod & antea Gregorius Papa concessit. Datum confirmationis 858. hoc est sexennio ante obitum Ansgarii. Sed cur hic Pontifex Islandorum & Grónlandorum non meminit? R. Aut quia in Autographis expressos non viderat; aut si viderat, annis totis 24. à privilegio elapsis, de Islandiâ & Grónlandiâ nondum habitatis, rectius informatus, etiam prudentius, sibi suæque confirmationi consulens, eam rectius informavit. Satis enim noverat, à petitione & postulato Ansgarii, ejusdemque instructione (ut ex confessione Gregorii Pontificis supra vidimus) nihil sequi, ad convertendum terras inhabitatas.

Nicolai Papæ confirmatio privileg. Ansg. Islandos & Grónlandos omisit.

Quin etiam huc ipsum Ansgarium compellam; ut cui Islandiæ saltem nomen (si tamen hujus nostræ Islandiæ nomen) non habitatio, innotuerit; idque post impetratum à Principibus privilegium, „ annis circiter 30. Deprecor, (ait, in epistolâ quâdam, morti „ jam vicinus Ansgarius) ut apud Deum intercedatis, quatenus „ hæc legatio crescat, & fructificare mereatur in Domino. Iam enim, „ Deo propitio, & apud Danos & apud Suecos, fundata est Eccle- „ sia Christi &c. Histor. Ecclesiast. Brem. cap. 31. An vero Ansgarius, in hac suâ gratulatione, fuisset Islandiam & Grónlandiam, si non penitus conversas, ad convertendum tamen tentatas, omissurus: nisi de præcipitato voto, & petitione irritâ, olim ad Principes, de Terris non habitatis, sibi conscius? Nimis itaque magnificè, à

Ipse Ansgarius, pro nostrâ parte adducitur.

sola appellatione Islandorum, in privilegio Ansgariano obviâ, & Anno ibid. expresso; de Islandiâ jam tum, vel multò ante habitatâ, à Pontano conclusum apparet; si Nostris Antiquitatibus, contrariam tenentibus sententiam, locus nullus relinquatur. Æquior vero ipsi forem, si de Nostr. Annalibus nihil ipsi constitisset; etsi tum in Anno privilegii Ansgar: tantum posuisset fiduciæ. Is vero nihil fidei nostris monumentis relinquens, quæ in Crymogæâ obvia habuit, & indidem repetita, ex professo, in suo de Thule &c. tractatu, impugnat; prudentius facturus mihi fuisse videtur, si ea, non tam peremptoriè condemnasset; quin etiam alteram partem prius audivisset, nec omnem excipiendi spem, indictâ causâ, reo proscidisset. Quum interim, ne hoc quidem modo, quod cupit ille obtenturum sperem.

Annales domestici, de rebus domesticis exoticis præferendi.

Et vero (ut in proposito pergamus) ubinam Gentium obtinuit; quod Annales domestici, de rebus etiam domesticis, ubi nulla malæ fidei suspicio, subesse queat, non sint auditi & admissi? Nulla hic contentio Gloriæ; Nulla Dominii aut possessionum; Nec vectigalia aut tributa controvertuntur; de tempore saltem, primum habitatæ insulæ agitur; non de re quapiam, quæ Majores nostros, à vero defecisse, cogere potuerit. Majores dico nostros, qui Historiam Norvegicam, inde ab Odino, tanto ante Haraldi Comati, (Pontano Haarfageri) tempora repetitam dederunt (quid de Snorrone Sturlæ filio, & his, qui ipsi, ex nostratibus & Norvegis, Relationis autores fuerant, ex D. Wormio paulo ante attigimus) illi, quæso, Majores Nostri, superioris ævi satis gnari & conscii, quomodo de ortu & habitationum initiis, suæ jam factæ patriæ, nempe Islandiæ, errare potuerint, aut velle errare debuerint; ac sic Annalium suorum fidem, in ipso vestibulo, labefactare, exactius obsecro perpendatur. Appage igitur hanc mentem quæ ob unius Ansgarii, hominis adeo peregrini, de re incompertâ, præconceptam opinionem, atque inde natam, ad Imperatorem & Pontificem Rom. petitionem, & petiti informationem ac instructionem, fatente (ut dictum) Pontifice, Annales nostros & Norveg. annihilare pergat.

Contrarium exemplum in Neubrig. ostensum, & ipsius Annaliũ admiratoribus.

In hac porro, Rerum & Annalium collatione, circa injuriam, quam sæpius ab Historicis exoticis, ipsi indigenæ, cum suis Antiquitatibus, etiam de Actis domesticis, immerito sustinent; ejus (veluti exempli gratiâ) commodum in mentem venit; quam malè & modis indignissimis Gulielmus Neubrigensis, scriptor exoticus,

Sverrum

Sverrum illum præstantissimum Norvegiæ Regem tractet & traducat, Archiepiscopi Nidros. (Erico nomen fuit) Suerri R. hostis infensissimi, & complicum ipsius, inductus calumniis; idque contra ipsos Annales Norveg. Tam arcta namque, tamque indissolubilis erat hierarcharum, (ut ita dicam) liga, illo præsertim sæculo; ut quicquid contra Reges, (diffidente sc. Republ. à Clero) confictum, atque ad curiam PP. delatum, id etiam mox creditum sit, & à scriptoribus exoticis, forsan è Clericorum grege delectis, ad Historiæ supplementum, & congeriem arreptum; unde illa apud Neubrigensem, rerum alienarum, tam sollicitum, R. Suerri, spurca famæ dilaceratio, nominisque tristissima fœdatio. Suerri autem vitam & res gestas, qui sine præjudicio, nôsse velit, præter Chronicon Norvegicum vernaculum, etiam (syncere monente D. Pontano) Carolum Ioh. Abbatem adeat. Quin etiam Magnific. Dn. Ar. Hwitfeld. Regni Daniæ, nuper Cancellarius, in Chronologiâ RR. Daniæ, Suerri Regis mentionem facit hac clausulâ. *Sant er det, ad Gud vnnderligen haffuer hiulped hannom* [*Kong Sverrer*] *til Riget &c.* Ergo non Venefica vel Saga, aulæ adscita; ut criminatur Neuburgensis. Nec clariss. Pontano, Norvegiæ Chronicon, hac parte displicet, dicenti paginâ 260. Nor-
„ vegiæ autem Chronicon Vernaculum [cum ex Neubrigense,
„ quædam præmisisset] longè aliter, quod nec à vero abhorrere
„ videtur &c. Quicquid tandem sive Neubrigensis sive Innocentii III. de Suerro. R. epistola, ad Islandos data, de illo tradant. Qui Innoc. Papa, quorsum de Suerro R. ad Islandos scripserit, nescitur; Adhuc enim Suerro R. Islandi sui juris, & sine Rege vivebant; nulli exotico Dynastæ, tributarii aut vectigales. Nec rectius de Islandorum conditione, Innocentius III. quam de re eâdem, ante ipsum, Gregorius Papa, per Ansgarium informatus fuerat.

Porro Ericus ille Nidrosiensis sedis Antistes, quem à Suerro expulsum Neubrigensis nugatur; ut causam Suerri faceret odiosiorem, & quantum posset aggravaret; non expulsus, sed suâ sponte, & pertinaciâ sedem Nidrosiensem reliquit, in Dania subsistens, seditionis tubam, qui inflarent, subinde excitatis, ac Regno Norv. immissis (prout unus & alter, ab Erico Archiepiscopo subordinatus, & Regum priorum sanguinis ortum, splendidè mentiri, sibique applicare edoctus, sese obtulit. Illum sine morâ, Ericus, milite & belli nervo, pecuniâ, instruxit, inque Dominum armavit proprium;

proprium; Erat enim Ericus opulentiſſimus, nec ullis ſumptibus pepercit; ut ſui emiſſarii, ſibi aliquando duplum refunderent, Suerro ſc. devicto.

Hujus farinæ fuit quidam à Neobrigenſe memoratus, ac ſummè laudatus, Suerro jam rerum potiente, Regni affectator, & invaſor ditionis Norveg. qui Iohannis Ingonis Regis N. filii nomine, falſo ſe venditavit: cum eſſet monachus ex cœnobio *Hoffnits-öy*. Erici & aſſeclarum artibus, ad ſeditionem movendam, velut claſſico excitus. Qui interim totum biennium Suerro Regi legitimo, magnum faceſſebat negotium; dum tandem, non ſine prælio ſatis cruento, deletus agnoſceretur: Ibi enim paludamento & veſtibus nudatum, verus ipſi parens Petrus (non Ingo) pernicioſum filium agnovit & prodidit: compertumque, quod non Iohannis, ſed Ormeri nomen haberet. Doli autem index, reperta eſt cicatrix, quam puer, meſſorum falce, pedem vulneratus, contraxerat. Falſus autem ille Iohannes, patriæ, quantum in ipſo erat, proditor, exinde *Ión Kúfflungur* cepit notari (eſt autem *Kuffl*, Monachorum cucullus) ad perpetuam, tam diræ fraudis memoriam.

Ipſiuſque milites, ejuſdem rei gratiâ, *Kufflungar* i. e. cucullati, è veſtigio, fraude detectâ, ac deinceps cognominati ſunt; quorum jam debellatorum, oculis & auribus cum ſubjiceretur (ut vocant) incontinenti, Rex Suerrus, eoſdem affatus, intuliſſe fertur. *Her maa i kuff lunger ſee, hvad Konge i haffuer fult: Och ere de vvbodemend ſom der findis ſkyldig vvdi &c.* Hæc circa Annum 1188. geſta „ traduntur. Eat igitur Neubrigenſis Orator & Hiſtoricus, cum „ hoc ſuo acerrimo juvene, de Regum priorum ſanguine orto (ut loquitur) & homines perditiſſimos Norvegiæ optatiſſimo Regi, inſtet præferre; id quod etiam non oſcitanter perſequitur: dum iſti Iohann-Ormero (in gratiam Hiſtorici, ſic notando) mox alium ſubjungit, ſed anonymum (quo veritas rei tanto magis lateat) de Regum, ut inquit, ſanguine, bonæ ſpei puerum, copioſa nactum contra Suerrum ſuffragia. Hunc autem Chronicum Domeſticum, nomine notat Ingonis, Magni Regis, à Sverro debellati, prædicatum ab hoſtibus filium, atque ab Erico Archiepiſcopo in Daniâ, ſuâ voluntate exulante, fine & propoſito, movendæ in Norvegiâ ſeditionis, ſicque juſto (injuſto potius) bello adoriendæ patriæ, educatum; jamque adultum, & ferociæ ſatis colligentem, cum exercitu Erici, & conjuratorum opibus, conſcripto, ad patriam (ſi Norve-

Norvegus ille fuit) extremis malis afficiendam, & in Suerrum, emissum: quemque per totum triennium, sævissimè & teterrimè grassantem R. Suerrus vix tandem compescere, ast non funditus extirpare potuerit. Fuisse tamen à Suerri filio, & Regni successore Haquino, (cui novas, reparatis viribus, Ingo ille, verus an fictus, turbas dederit, circa Annum 1203.)internecione protritum, Chronicon RR. Norveg. vernaculum tradit. Illa latronum manus *Baglar*, vel *Baglaher*, Vocari meruit: à Scipione (nescio an eburneo) Episcoporum, Regi fædifragorum; ac ab Archiepiscopo suo exuli (non Christi) faventium; quorum omnium opibus, miles conscriptus constabat. Quo longa posteritas, talium fraudum, perfidiæ & perduellionis, Ecclesiasticorum, Curiæ Papali addictissimorum, vel nominis saltem (quod & de Kufflungis, modo dictum est,) monumentum & memoriam, eâ ratione ad se transmissam, (unâ cum Annalium indagine) haberent. Interim hic Ingo, cum superiore Iohann-Ormero, à Neubrigense, ita in cælum tolluntur, ac si Martyrum sanguine, oppressori Regi litaverint. Sunt & plura, apud Neubrigensem de R. Suerto, quæ si ad trutinam pendantur, veritati minus militare deprehendentur. Vt II. Secundò, quod veneficam mulierem secum circumduxerit (quæ & ipsi est filia diaboli) cujus opera bella gesserit. III. Quod à 100. retro annis, & amplius, Regum Norveg. nullus, fato naturali, (puta, morbo vel senio confectus) vitâ excesserit. Id quod me silente Annales satis refellunt. Et hic Suerrus (cui Neubricensis similem superioribus exitum falso ominatus est) sanctiss: condito testamento (fuisse autem Synchronos D. Pontanus innuit) placidissimâ morte decessit, post arduam. 25. annorum, Regni administrationem. IV. Quod Suerrum, ut diaboli proprium (ista Neubricens: verba sunt) plane & plene condemnet. V. Quod prædonum sollicitatam manum sub signa coëgerit &c. quum à cohortibus, quæ sub Majoribus R. Suerri meruerant, quæque ante Suerrum, Bircke-beinorum appellationem gesserunt, militiæ istius imperium; ubi precibus, nihil proficerent minis & vitæ proposito discrimine, morem in illâ regereret, invitus ad eam rem, ut qui armis & militiæ operam nunquam assuevisset, protractus sit. Sed Divinis auspiciis, fuisse istam militiam ingressum, successus & eventus docuerunt; quod supra fuit, ex Hwitfeldio. VI. Prælia R. Suerri, adversus Magnum Erlingi F. Regis titulum, in competenti, Episcoporum indultu, usur-

pantem,

pantem, quam vafre Neuburgensis commemoret, nisi ex Chronici Norvegici collatione, vix cuiquam sit verisimile: quam idcirco missam facio, quod prolixior sit. VII. Quod sacrum ordinem Suerus abjuraverit &c. cum eundem nunquam suscepisset. Sin minus; cur præbendam, seu locum manentem, Autor hujus figmenti subticuit? cur Ecclesiam ab eo administratam, non designavit?

Atque hæc sanè de Suero, & novercali ejus (mirabile dictu, de viris) Historico Neubrigense, aliena hoc loco videri poterint; nisi exemplo & argumento forent; quam inique monumenta & Annales domestici, quibusdam Extraneorum Relationibus, nullo judicio, minoreque, cum cura Veritatis, hinc inde compilatis, postponantur, quasi aliorum & alienorum æstimio, & non propriorum documentorum testimonio, Nos, nostraque, judicandi simus: quod postquam Olferi, semper indignum & insolens visum est. Nec consultiss. D. Wormio, ferè aliter, cum alicubi sic conqueritur. *Det er höyligen adt beklage, adt der end nu findis Mange, som icke vville Noget giffue maet, om disse Nordiske lande, vvnd tagen, det kand beviises, medt Nogen aff de Gradske eller Rommerske* Historicis, *lige som de bredre haffue vvist, hvad her hiemme skeede, end Indbyggerne selff. Der dog Ingen aff dennom, haffuer vvered i disse lande: Intedt heller aff disse Rigers thillstand Kunde vvide, andet end hvad de VVegefer, aff andre vores Nodslandere, hörde, enten det vvar sandt eller icke. Ia, vnnder tiiden vare selff vvores frender och Mod standere, Om huilke de icke gierne skreff megeat gott &c.* Ita Dn. D. Wormius, satis ostendit, quam sit ab illorum mente & ingenio alienus, qui exotica domesticis, in foro Historico, citius præferunt (in causâ alienâ, ad propria quamvis vix satis circumspecti) quam omnia prius verbis, quam armis, ubi judicium sibi sumunt, experti fuerint.

Nullum adhuc magnopere dubium, de Apographis istorum diplomatum, de quibus nunc agimus, movere animus est; præsertim si autographa, ipse D. Pontanus inspexerit. Alioqui multa à Typographis committuntur, & librarii, quos vocant, multa sibi permiserunt, aut ignorantes admiserunt, nunc addendo, nunc mutilando, & mutando priora; alias proprio, alieno quandoque ausu & persuasione; Illud vero silentio præterire, nequeo; quod in re non dissimili, ipse Pont: non ubique, in RR. Instrumenta publica, jurasse videatur; Vt; 1. in Nomine Daciæ, pro Daniâ ,, usurpato, quando pag. 640. sic scribit. Sanc Daciæ nomenclatura,

„ tura, tam altè, præsertim latinè scribentibus hæsit; ut instru- Argumentum ab exemplo Pontani.
„ menta etiam publica, à Regibus olim promulgata, Daniam,
„ ferè ubique Daciam vocent. Quæ & secutus videtur Polydorus
„ Virgilius, qui Anglicæ Gentis Historiam contexens Latinè, haut
„ aliter ferè Danos quam Dacos nominat. At harum Originatio-
„ num [plures enim præmiserat] vix ullam esse, quæ solidi ali-
„ quid inferat, quis non videt? Nam ut de Humbli filio DANO,
„ deque DANO judice, Hebræis intellecto, nihil nunc dicam;
„ nonne illud, de Dahis, deque Dacis & Danais, eâdem quâ as-
„ seritur fiduciâ, atque affirmatur, negari & refutari potest? cum
„ autoritatem, præsertim quâ nitatur, vetustam, aut verisimi-
„ litudinem, præter levem aliquam nominis allusionem, non
„ habeat &c.

Cernimus hinc, quanti interdum sit, Regum, licet, instrumentorum publicorum, Autoritas, aliis rationibus destituta; nedum evidentibus Argumentis, in dubium vocata: nullâ sanè Regum aut Principum; sed Instructorum (qualis fuit Ansgarius Papæ Gregorii) & Librariorum, sive Libellionum, culpâ. NB.

Et iterum, pag. 805. inquit D. Pontan. Hujus rei facit mentionem, Epistola ipsius Imperatoris, Frider. Barbarossæ: quæ integra recitatur apud Chronologos; ubi tamen [sive in quâ Epistolâ Imperatoris] Daniæ Rex perperam Petrus nominatur, qui ipsus est Suero, Cogn. *Gratenheide*. Quin & ipse, Diploma quoddam magni Principis vidi, & ubi extet, scio; in quo nominis cujusdam proprii, insigne Sphalma conspicitur. Interim, quod dixi, nihil ad ipsos Principes, Sphalmata ejusmodi; sed ad amanuenses, & primos instrumentorum talium conceptores.

Tandem facere non possum; quin cum conclusione illâ D. Pontani, ab Ansgariano privilegio, contra nostrorum Annalium fidem, deducta, Archiepiscopum Brem. Adalbertum conversionem Islandiæ, suo tempori gratulantem, committam. Quâ de re Bremensis; L. de situ Daniæ, his verbis, supra etiam inspectis, agit. De qui- Novum Argumentum.
„ bus (Islandis] noster Metropolitanus [Adalbertum intelligit]
„ immensas Deo gratias retulit; quod suo tempore converteban-
„ tur. &c. Tum de Isleifo 1. Episcopo, pauca adduntur. Peten-
„ tibus illis ordinavit quendam Sanctissimum Virum Isleif. &c. qui
„ aliquandiu apud eum [Pontificem Adalbertum] retentus est;
„ cum ingenti prorsus honore; discens interea, quibus *noviter* con-

„ conversos ad Christum, populos posset informare &c. Illud autem ipsum tangitur in Histor: Ecclesiast: Brem. & Isleifum, Anno 1057. esse ordinatum; Hunc etiam primum fuisse Islandiæ Episcopum, nullus huc usque dubitavit.

Confectariahujus gratulationis.

Ex his positis eruitur. I. ævo Adalberti, conversos esse Islandos, licet Isleifo priorem Episcopum non habuerint. II. cum dicat, sive Dux, ipse Adalbertus; sive Historicus; Noviter conversos: planum est: annos 200. (plus minus) prius exactos, quam Adalberti æra innuat, Noviter conversos, ipsum cognovisse Islandos; si Papæ & & Imperatoris, privilegium Angario datum, prævalere debeat. Quum illud Bremense Adverbium Noviter, Annos circiter 57. includat, à prima & totali Islandiæ *conversione* Anno *Christo* 1000. factâ, ad ordinationem Isleifi elapsos; ut fusius alibi ostensum est. Ideoque Imperator Ludovicus, de conversione Islandorum, suis in diebus factâ (ut in privilegio Ansgariano haberi volunt) gratulari sibi non poterat: Quando sc. nulli adhuc extarent vel extiterint Islandi. III. Quis autem credat, Adalbertum ducem & Archiepiscopum, non fuisse ab Isleifo nostrate, & primi Episcopatus Islandici candidato, bene diu secum retento, & honorifice habito; tum de primâ habitatione insulæ; tum de ejusdem conversione (unde illud Noviter) rectius informatum & instructum, quam olim Ansgarium, nullum suæ cognitionis Autorem, nullam famam (quod ex tenore privilegii colligitur) prætendentem? Rectius etiam sanè, quam pro D. Pontani voto aut voluntate?

His omnibus subest clancularia Ansgarii. Principibus data Instructio.

De privilegii Ansgariani autoritate. Principes oppositi principibus.

Principum itaque (Imp. & Pontif.) istis tabellis, hac parte, de Islandiâ, jam tum vel antea, non modo habitatâ. Sed ad fidem Christi conversâ, sive per Ansgarium convertendâ; per ipsum Ansgarium (ut maximè verisimile dedimus, & aliqua parte probavimus) sic informatis, Anne licebit Principes alios opponere? I. Et primum quidem Adalbertum hunc, (antequam missum illum faciamus) tam stemmate quam dignitate illustrem. II. Deinde etiam Haquinum, cogn. apud Historicos Antiquum; Serenissimum & celeberrimum, totius Norvegiæ Regem & Dominum. Qui in Senatu, sive Comitiis, Anni 1264. Ducem, Regnique (Rege indulgente) consortem, Schulerum, à bello Islandis, non satis idoneâ causâ, inferendo; dehortatus, inter perorandum, in Senatu, etiam his verbis, ad persuadendum, quod voluit, usus traditur. *Adt Nordske Mend, haffde Först bygtt det lannd Island, och vvar Kongernes* [vide Crymog.]

Chron. RR. Norveg. V.Vorm.

Crymog.] *saa vvel som andre Nordske Mends, Slechtt och Byrd der paa. Der thill haffde Nordske Konger ladett det land omvende, thill denn Christentro, &c.*

Quâ peroratione, Regisque tanti testimonio, conversionis Islandiæ beneficium, neque ad Imperatorem, neque ad Pontificem Rom. neque ad Ansgarium, sed ad Reges Norvegiæ refertur; Annalibus tam nostris, quam Norveg. suffragantibus, ut & ipsa prima terræ Islandicæ occupatio & inhabitatio, nonnisi Norvegis adscribitur; iisque non plebeis tantum; sed etiam Magnatibus, & Regii sanguinis familiis. Vide Crymog. Quæ cum ita sint, quis privilegio Ansgariano, etiam nobis invitis & refragantibus, canonizando, aliam quam nostram hanc, necessario quærendam Islandiam, non merito suspicetur? Quare, si hactenus, De Ansgarianis privilegiis, cum Nostris Annalibus reconciliandis, assensum quæsitum, minus consequar, ipsumque D. Pontanum difficiliorem, in hoc experiar; Ego, sicut ex ipsius scripto, Thule non una emergit manifestè; ita vicissim, Islandiam non unam, scriptoribus hoc nomine dictam rear. Præter acceptiones autem & descriptiones Thules, satis varias, ac supra ex Pontano recensitas; dantur adhuc aliæ, Thules titulo, indicatæ Insulæ; quod non abs re hic addendum: ut Thule cujusdam; ubi arbores bis in anno fructificent. Et Thule, quæ si una ex Faarersibus insulis. Item Thule Munsteri, ab Islandiâ diversa. Tum etiam Thule, quæ sit Skrickfindia, sed fatigor recensendo, & cum Terentiano interlocutore: Quo me vortam, nescio; tantum est Scriptorum Thulensium Chaos; tot labyrinthi; ut jam minus mirum sit; dubitare Sinesium; an aliqua sit Thule? Minusque absurde à Gyraldo prolatum sit; Thulen nusquam comparere &c. Quidni? cum videamus illam à suis scriptoribus tandem, ubique ,, ferè collocari; & usitate dicatur: qui ubique est, nusquam est &c. Quibus propterea cavendum sit, ne Thulen suam, Deum quempiam faciant; quæ ferè fuerunt supra. Vbi si quis regerat; sententias esse leviter discrepantes, de terrâ eâdem &c. Illud quam minus verum sit, supra excussam dedimus.

N. adhuc plures Thules acceptiones, quæ supra fuerint, eodem referendas.

Chaos Thulense.

Hac porrò Thules expositione, in tot formas & figuras, versâ, mihi quadamtenus prævia, cæpi dispicere, an non possit similiter (sed extra illam varietatem) de Islandiâ non unâ statui, quæ sola Dichotomiâ contineatur? ut alia sit Islandia Ansgariana; à privilegiis Ansgario, circa hanc concessis, denominanda: & alia Islandiâ

An detur Islandia, non una.

Islandia Flokoniana. dia Flokoniana, quam N. Annales planius loquuntur; hæc, inquam, nostra patria; quæ Flokonem Eponymum agnoscit; quæque aliquot post Flokonem annis, nempe (quod jam toties repeto) 874. Anno Christi, primum est habitari cœpta; ac operâ & auspiciis Olai Tryggonis, Norvegiæ Regis, Christianismo, ut loquimur, imbuta circa Ann. Christi 1000. Haquino autem Norvegiæ Regi Haquini filio. Suerri R. nepoti, circa Annum Christi 1261. primum tributaria facta; ut est utrumque in Crymogæâ; nec in Chronico Norvegiæ obscurius. Sed notandum; ad nostræ Islandiæ deditæ tempus, quod attinet; errorem Chronici Norvegici, typographicum occurrere, pag. 707. ubi pro 1261. substitutum legitur 1240. Quod erratum paginis sequentibus, abundè emendatur; ut pag. ejusdem editionis 735. perorante coram Rege, Regnique Norveg. Senatu, Wilhelmo, Legato Pontificio, & manifestius, pag. 744. 745. 748. 752. 768. & præcipuè pag. 770. sub Anno 1261. & pag. 772. Maximè vero pag. 780. sub Anno 1263. Quod propter nonnullos, pag. 707. mendum, pertinacius forsan, urgentes, palam indicasse oportuit. Islandiam vero Ansgarianam, contra, esse statuam; cujus in celebri fratrum Zenorum navigationis Historia, & rerum, in Oceano Frislandico, circa An. Christi. 1380. gestarum fit mentio. Erant autem Fratres isti Veneti, Nicolaus & Marcus uterque Zeni cognomen gerens: Historiam liberaliter communicante D. Pontano, ex qua propter Lectorem, Pontani opere destitutum, aliqua hic repetere visum est. Sic autem habet.

Erratum graphicum sufficientiss. correctū.

Editiones Danicæ.

Ansgariana Islandiâ.

„ Vterque [Fratrum Venetorum, sub Zichino, Frislandiæ Re-
„ ge, stipendia merentium] maximo belli apparatu, Estlan-
„ diam occupare aggressi sunt; inter Frislandiam & Norveg. po-
„ sitam: cui quoque maxima intulerunt damna. Sed audito, Nor-
„ veg. Regem, magnâ cum navium classe, quo bello illos avocaret,
„ appropinquare, anchoras sustulerunt; cum ecce, tam hor-
„ renda invadit tempestas, ut ad syrtes quasdam delati, magnam
„ navium partem amiserint; reliquis in Grislandiam, insulam
„ magnam, sed incultam appulsis.

Grislandia inculta.

Hujus expeditionis navalis, Norvegi factæ, auspicio, cum in Regum Norveg. Chronico nulla fiat mentio; verisimile est Piraticam fuisse Norvegorum classem, in Oceano isto vagatam, quam esse Regiam, incerto rumore acceperant.

Nor-

„ Norvegorum classis, cum eadem tempestate colluctata, fecit & „ ipsa naufragium, & per maria illa, variè fuit disjecta, qua de „ re, per navem quandam hostilem, in Grislandiam forte delatam, certior factus Zichinus, reparatâ jam classe, cum non „ procul ab Islandicis insulis, se abesse cerneret, Islandiam, quæ „ & ipsa, Norvegis erat subjecta, decrevit invadere. Sed tam munitam, defensoribusque instructam offendit, ut cum exilem „ admodum, nec à viris, armisque instructam haberet classem, „ ab incæpto repulsus fuerit; coactusque re infecta discedere. A„ dortus tamen est in iisdem Euripis Islandicas insulas, quæ septem „ numero sunt. 1. Talas. 2. Broas. 3. Ircant. 4. Trans. 5. Mi„ nant. 6. Damberca. 7. Bressa. omnes variè depopulatus est. Et „ in Bressâ propugnaculum struxit, cui Nicolaum [Zenum] præ„ fecit; relictis inibi aliquot navibus, & militum manu, cæteris„ que ad bellum requisitis &c. Nicolaus qui Bressæ remansisset, „ vere novo, in altum progredi, & terras novas aperire statuit. „ Quare instructis tribus duntaxat navibus, iisque non nimis ma„ gnis Iulio mense, in Septentriones contendit, & in Entgro„ welandiam est delatus; ubi cœnobium offendit, Fratrum prædicatorum, & templum Div. Thomæ sacrum &c. Hæc circa Ann. Dom. 1380. aut non multo post, gesta traduntur. vid. Histor.

Porro aula Norvegi, istis temporibus, Islandis nunquam caruit; viris potioris notæ, & boni commatis, quà stemmâ, quà reliqua animi corporisque ornamenta; ut neque navibus & negotiatoribus Islandicis, ipsa Norvegia, nec Norvegicis Islandia; ita ut, quid rerum, circa patriam suam, vel in ipsâ, ipsaque Norvegiâ, gestum sit, ignorare potuisse Islandos, Absurdum habeatur Historicum. Nec tanta etiam erat socordiâ nostratium, ut res momenti tanti, ad Patriam spectantes, in Annales non retulissent: quibus Historia exotica curæ fuit; ut supra. Nos vero interea, ne de fide harum Relationum dubitare præsumamus; aliam Zichinianæ expeditioni & invasioni (propositæ & si non attentatæ) quam Flokonis seu nostram Islandiam, quærendam sagacioribus ingeniis relinquimus. Harum Relationum commẽtatio.

Nam quo minus hic nostram Patriam, agnoscere aut intelligere possimus. Obstat. 1. Quod Rex Zichinus Islandiæ nomine dictam sibi insulam, invasurus, classem hostilem, aut naves exploratorias,

tam prope admoverit terræ munitionibus, defensorumque non tentato robore, sit à proposito retractus, & re infectâ, nec inchoatâ quidem, tam potens Neptunus & maris Dominus discedere sit coactus. Præterquam enim quod munitiones adversus classem hostilem (esto exiguam) nullas unquam terra nostra habuerit; ac ne habere quidem, undique aperta, & hostilibus injuriis exposita, potuit; nullo etiam robore, ipsi coloni, ne unicum quidem oppidum, Immo; nec pagum saltem; sed raram & locorum intervallo distractam habitationem hic nacti. Vt jam (II. loco) taceam quod Antiquitates nostræ, talis periculi, Terræ nostræ, unquam imminentis, mentionem omnino nullam faciant; quum interim multa, etiam in his minutissima, domi forisque gesta, aut contingentia, notâsse animadvertantur; ut præter Ecclipses Luminarium, aliaque cæli & aeris portenta; maris quoque inundationes, etiam alibi factas; terrarum motus; montium incendia; Anni diversas tempestates; bella & cædes, atque triumphos, variorum populorum; tum famem, morbos epidemicos, insolitis modis grassantes; Magnatum, & alioqui præstantium virorum funera &c. non prorsus neglexisse dici mereantur.

Hinc est, quod neget Crymogæa lib. 2, sub finem Zichini Friislandiæ R. armis, unquam tentatam esse Islandiam. Tentasset autem, non leviter, aut minimopere, si insulas tot & tam insignes, quales in hac Historiâ Islandiæ assignantur, eas nostra Islandia possedisset, fuissetque easdem Zichinus hostiliter depopulatus, ut habet Historia. Quare (III. loco) Zichini Historiam, cum suâ allegatâ Islandiâ, à nostrâ distinguunt & removent, dictæ 7: numero insulæ, sat populosæ; præsupponit ~~non~~ depopulatio Zichini, populum. Eas non nullas agnoscimus; nec superiorum ætatum memoria, suggerit; nec experientia ulla depræhendet. Et quis ulterius tenebitur, quam ut ad horum temporum experientiam; & superiorum memoriam, tuto provocare possit? Habet quidem Islandia Borealis insulam perexiguam. *Grimsöy*, vix novem casularum Piscatorum, & Domunculæ, quam sacellum vocant, capacem à litore ipsius terræ 6. mill. dissitam. Habet Westmannöyam, Meridionalis, 3. mill. distantem, & unicam parochiolâ contentam; sed quid in his, vel circa has nobis aut Majoribus nostris ignotum, geri potuit? in quibus est, fuitque annua, (imo quoties, quis volet Neptuno & Æolo faventibus; quibus invitis, etiam

vel

vel breviſſimum iter marinum, intercluditur) converſatio, cum iis, qui ipſam continentem (inſulæ vel unius reſpectu ſic appellandam) habitant, juriſque & rerum ſocietas. Habet Orientalis Iſlandia Papóyam, iſtis magno diſcrimine minorem, ſemper, quod ſciam, deſertam; & vix ullius momenti. Ex montis cujuſdam cacumine Iſlandiæ Occidentalis, vix conſpicitur *Gunnbiarnarſker*, tranquillis undis & Iove ſereno: quæ inſula nihil unquam ad Iſlandiam, culta an deſerta, æque neſcitur. Eſt etiam à latere Iſlandiæ Boreali, ſcopuli verius, quam inſulæ nomen ſuſtinens *Kolbeins óy*, non Saxoſa modo, ſed Saxea dicenda, & gramine deſtituta: Aſt piſcibus in circuitu abundans; juxta quem ſcopulum, terræ noſtræ quidam incola, Kolbeinus nomine, piſcari ſolitus, nomine de ſuo proprio, nomenclationem, antea anonymo, indidit *Kolbeins óy*.

Sed quid iſtæ, ex quibus tantum duæ, paucis piſcatoribus habitabiles (niſi quod *VVeſtmannóya*, mercatu Danorum non ita dudum famigerari cæpit) ad 7. illas, ſatis, ut dictum eſt, populoſas, & à Zichino tot malis affectas, quæ depopulationis vocabulum mereantur? Ex quibus ſeptima numero, Breſſa, propugnaculo ibidem excitato, alendoque, uſque in Iulium ſequentis Anni, apta & ſufficiens militi (Militum manum relictam vocat Hiſtoria) atque ſic Nicolai Architalaſſi hibernis, celebris facta. Iam inſulas minutiſſimas, quas ſinus maris anguſti, intra ſe concludunt; ipſique pænè litori contiguas, eoque magis, nobis domeſticas, non eſt quod quis objiciat. Nihil ſiquidem illis, ut nec iſtis, cum Zichini Iſlandiæ adſcriptis inſulis, commune eſt.

Nec illud leve eſt, aut minimi ponderis, quod in illarum 7. inſularum, neſcio cui tandem Iſlandiæ attribuendarum, titulis vel nomenclationibus, non apex quidem minimus, (nedum ſyllaba) inſit, qui linguam Iſlandicam referat, vel ſaltem redoleat. Interim omnes illæ 7. habitatæ, populoſæ & bene magnæ intelliguntur; ac in primis illa Breſſa, ut dictum eſt.

TALEM itaque Iſlandiam, qualis in dictâ Zenorum Hiſtoriâ depingitur, Anſgarianæ æræ facile donaverimus, quæ nihil ad hanc noſtram: Atque hinc planum, quomodo Iſlandia non una dari poſſit, niſi in privilegiis Anſgar: Friſlandia, pro Iſlandiâ legenda ſit, ut & Entgrónlandiâ, pro Grónlandiâ. Hæc enim Zenorum FFr. navigatio, & Zichini expeditio navalis, licet ſint Anſgarii ævo, multo poſteriores tempore; poterat interim ipſarum terrarum,

Frislandiæ inquam & talis Islandiæ, qualem nobis Historia suppeditat, fama (in cujus insulæ nomine, hæc Historia, nihil admodum hæsitat) ad Ansgarii aures, maturius vel prius multo, quam hæc Zichmi & Zenorum expeditio facta sit, pervenisse; cum ipsius etiam Engronlandiæ famâ, quæ cur non sit Grónlandia, Islandis & Norvegis, olim & hodie sic nuncupata, jam dicendum venit. Æquè enim hæc, ut Islandia, Ansgariano privilegio contineri putatur.

Grónlandia quæ.

TERRA itaque Grónlandiæ nomen sortita, ab Islandis primum inventa Anno Christi 982. & 986. occupata & habitata; Ast tam Islandis, quam Norvegis, postmodum frequentata; non est insula; ut quidam autumant, sed maximæ continentis, tum prorsus desertæ DISTRICTUS, reliquæ continentis respectu, PER-EXIGVVS, in duplicem habitationem. *Osturbygd oc VVesturbygd.* i. e. Orientalem & Occidentalem Gronlandiam divisus. Hanc Grónlandiam, primum ab inventore, & utriusque status incolis; deinde ab actibus aliquot, ipsis Grónlandis, cum aliis intercedentibus; ut testibus Historiæ adhibitis, delineabimus.

Primus inventor & Eponymus.

Grónlandiæ (quæ Islandorum colonia fuit) primus inventor & Eponymus extitit, ac celebratur Ericus Ruffus;. Islandiæ quidem incola; Sed qui cum patre Thorvaldo,. nobili stemmate satus Norvegorum, & Provinciâ Norvegiæ *Iadar* [hodie *Listen*] excedens; appulit ad promontorium Islandiæ Occidentalis, *Hórnstrander* habitationem locans in *Drongum.* Vnde post fata parentis, concessit in Islandiam magis Occidentalem;. nempe *Haúkadal*;. prædio fundato in *Erikstad.* Translatâ inde habitatione, consedit in *Oxóy*, insulâ nempe in sinu *Breidafiórd*, interiore & angustiore sitâ. Intricatus autem injuriis Magnatum quorundam, & litibus, noluit cum popularibus, maleficiis certare. Sed instructo navigio, palam fecit, se propitio numine,. Terram ab Occidentali latere Islandiæ, aliquibus visam (non aditam) quæsitum abire. Nec diu erat, dum continentem, immensæ magnitudinis obviam haberet. Cujus tæniam præruptam, ut aditu inaccessam & periculosissimam vitans, cursu versus libonotum directo, Sinum vastum, atque ingressui patentem, deprehendit: longis anfractibus, ab Alto, Continentem intrantem,. quem illicò *Eriksfiord* vocitabat; ut & insulam in ostio ejusdem sinus occupatam, *Eriksóy.* Inde terrâ desertâ, longè lateque perlustratâ, exacto triennio, in Islandiam redux, illam Grón-

landiæ

landiæ nomine prædicabat; [qui viridem, aut virentem terram.] Qua ratione Islandorum plurimos, ut secum Grónlandiam, pro Islandiâ, ad habitandum diligerent, allexit.

Nec mora, Anno sequenti, 986. Islandi xxv. navigiis minoribus vecti, Erico Grónlandiam revisenti, sese conjunxerunt. Et hæc quidem fuerunt Gentis Grónlandiæ primordia, terræque prima habitatio.

Porro Anno 14, post sic occupatam Grónlandiam, Anno videlicet Christi 1000, dicti jam Erici Ruffi filius, Leiferus, eximius vir, cognom. *hinn hepne*. i. e. Fortunatus, in Norvegiam vectus, Olao Triggonis F. Norveg. Regi innotuit: quo procurante, sacris Christianis initiatus est; additisque Regiis auspiciis, sacerdotibus, in Grónlandiam redux, fidem Christianam professus est, atque propagavit; eâ felicitate, ut succedente tempore, Ecclesiæ constituerentur ibidem, Ecclesiarumque Antistites sive Episcopi, ex Norvegiâ peterentur; fundatâ in Bórdum, Episcopali residentiâ, in sinu *Einars-fiórd*, Grónlandiæ Orientalis; æde etiam cathedrali, Div: Nicolao ibidem dicatâ, seu dedicatâ. Qui Divus, isto sæculo, maris imperium obtinere putabatur; ac proinde nautis, pro numine tutelari, colebatur; cujus favore, vel maximè, in Oceano Grónlandico, opus esse, creditum est. Vnde vero, præ reliquis Divis, Nicolao, olim Episcopo Myrensi, maris vel nautarum tutela, adscripta fuerit, ex ejusdem vitâ, memoriâ recentiore, superius ævum calluit. Quod nec nos ignorare, celeberrimus uterque Chytræus volebat: David quidem in Onomastico; Nathan vero Fastorum lib. XII. lacteâ suâ lectorem huc allectans venâ, dum sic canit.

Grónlandi fiunt Christiani.

E Lyciâ, mox Niliacas, Leonicus ad aras
Navigio vectus, cum tenderet; atraque cœlum
Tempestas tegere, & fluctus agitare, procellæ
Horrisonæ inciperent, & mortem cuncta minari:
Tum vero solitas, unus conversus ad artes,
Nicoleos, precibus rerum placare parentem
Supplex, erectis, cum corde, ad sidera, palmis
Instituit; votique sui mox compos, opimas
Ægypti intravit, ventis felicibus, urbes.
Cum sibi, tum sociis optatæ causa salutis.
Hinc mercatores, illum, nautæque patronum

 Dele-

Delegêre olim &c. vulgo miserabilis illa,
Quando superstitio, insano regnaret in orbe:
Vtque alias taceam; sunt illi templa per omnes,
Condita, littoreas, non parvis sumptibus, urbes,
Balthica mutandis, quæ mercibus æquora tranant,
Sublimi quæ Nicoleos, despectat Olympo
Indignans &c.

Ecclesiæ Grónlandicæ vero in Diœcesis formam redactæ, nominatim recensentur, in Orientali Grónlandiâ XII. In Occidentali tantum IV. Quin etiam Episcoporum Grónlandensium nomina & æram (ut & nostratium & Norvegorum, per singulas Episcopias, Orcadensium, Fœrogiensium) Annales nostri non penitus ignorant. Ex quorum (Grónlandensium) numero hos tantum allegamus.

1. Ericus, Anno Christi 1121. ordinatus: sed putatur Grónlandiam non attigisse; & ex Norvegiâ, ordinatus rediens, in Vinlandiæ (Terræ novæ, quam forte sentit Bremens. De situ Daniæ) inquisitione, non salutatâ, ut jam dixi, patriâ, in reditu periisse: unde illum proxime secutus Arnhaldus; ab aliis primus Grónlandiæ Episcopus constituitur. Sed nos secundum facimus.

2. Arnhaldus. Anno. 1124. factus inde Episcopus Hammerensis in Norvegiâ 1152. Egit igitur Episcopum Gardensem in Grónlanlandiâ Annis 28.

3. Ionas *Kótur*, alias *Knutur*, sive Canutus Anno 1156.

4. Ionas secundus, circ: 1188. Hic Anno 1202. Islandiam attingens, docuit incolas vinum conficere, ex bacris quibusdam, nigro colore, lendis fere magnitudine olim, succo referente colorem ejus vini, quod cannariis adscribitur. Obiit Ionas secundus 1209.

5. Helgo circa Ann. 1212. obiit 1230.

6. Nicolaus circ. 1234.

7. Olaus, circ. 1247. obiit 1280.

8. Theodorus. circ. 1288. Norveg. revisit 1299. Ob. 1314.

9. Arnerus, obeunte Theodoro 1314. ob. ipse 1325.

10. Ionas tertius cognomine *Skalle*: sonat ipsum Calvitium; sed intelligitur calvaster. Ordinatur Arnero nondum defuncto; sed existimatur Episcopatum Grónlandiæ, non adiisse; quod vacante interea cathedra Holens. adud Islandos, quam Grónlandensi præferebat, finxit Papalem indulgentiam, quâ Episcopum Holensem ageret.

ageret. Sed neque diu Ecclesiæ Holenses illum sustinuerunt, quia diploma Papæ, quo gloriabatur, proferre, aut nollet, aut non posset. Vnde forsan cathedræ Grónlandicæ, tandem sese insinuaverat.

11. Nam Alfus, illum tandem 1376. secutus memoratur, mortuus Anno 1378.

12. Henricus circa Annum 1389.

Eorum autem, qui Henricum secuti sint, aut superioribus forsan intercesserint; nec nomina, nec æram reperio, ob monumentum mihi oblatum, valde obsoletum, & alicubi circa hunc Episcoporum Grónlandiæ catalogum, male castratum, usque ad annum 1461. Quo Andreas quidam, cathedræ Gronland: præfuit, qui unâ gesserat vice Episcopum Schalholltensem in Islandiâ. In cujus rei fidem, testor me tabellas vidisse membraneas, cum sigillis, confectas & datas, in consistorio Ecclesiæ Schalhollt.

His itaque & aliis adminiculis compluribus, nititur Historia Grónlandiæ, Anno 982. (ut ista obiter repetam) primum inventæ. Anno vero 986. primum occupatæ & inhabitatæ. Anno 1000. ad Christi fidem conversæ, Anno denique 1023. Norvego tributariæ; ab eoque subinde deficientis, ast tandem, Anno 1261. Norvego, qui tum rerum potiebatur, denuo deditæ.

Quantum ad statum secularem attinet, postquam sui juris esse, Gens illa desiit, vixit pro suæ Terræ conditione, jure ferè Islandico; Iudicem semper aliquem unicum supremum, ceu prætorem habens; qui post ultimam deditionem Norvego factam, cum subditis Regis Imperium debitè agnoscebat: Novam sive ultimam deditionem à parte Grónlandorum confirmantibus, qui tum in Norvegiâ præsentes adfuerunt, nomine sic notati: Otto de Siólltum: Paulus magni F: & Leiferus (à nave, *Knarrar-leifur*, dictus) declarantes, suis factum auspiciis, ut Grónlandi perpetuum tributum Norvego denuo jurassent.

Illustratur autem hæc pars Historiæ Grónlandicæ (privilegiis Ansgarianis, directæ oppositæ) Actorum aliquot, (veluti testibus productis & in Annales Nostros relatis) de rebus variis, quæ Islandis cum Grónlandis; & his vicissim, cum Norvegis intercesserunt, compendiosâ narratione, ex qua sunt relationes speciales, qui sequuntur. I. de Thorgisello quodam, non infimæ notæ Islando. II. de Thormodo. III. de Refvero. IV. de Skalld-helgone. V. de Kalls- Acta aliquot cũ Grónlandis.

 de Kalls-

de Kallsnefvero. v. de Biórnone Enario, tertium Romipetâ &c. omnibus istis Islandis. Ex quorum vitâ, si paucula ad cognitionem Grónlandiæ spectantia, excerpam, lectori non sit fastidio.

I. Thorgisellus. Recensui. 1. loco Thorgisellum, ex Islandiâ Meridionali oriundum; qui numerosâ cum familiâ, Grónlandiam invisurus in maximum suæ & suorum vitæ discrimen, adductus est: tempestate versus Boream, in deserta Grónlandiæ (*Grónlands Obygder*) abactus: ubi se & socios, piscatu & venatu, bene diu sustentabat; tandemque in Grónlandiam delatus, aliquot illic facinoribus, clarus evasit. Nam & ursum immanem, hospiti suo formidabilem, aliisque acinace saltem breviore usus, confecit solus: & naves duas piraticas, multum diuque, incolis, eousque infestas, intercepit; & in suam potestatem redegit, deletis piratis. Atque hoc pacto, favorem & præmia, ab incolis, sibi concilians, in patriam Islandiam, postliminio reversus est. Ad rei stabiliorem memoriam, nomina navium piraticarum, notantur; *VVina-gautur* & *Stiakar-hófde*. Hoc factum memoratur, Erico Ruffo, Grónlandiæ Gentis conditore; adhuc in Grónlandiâ superstite.

II. Thormodus Bessonius. Succedat Thorgisello, Thormodus Bessonis F. cognom. *Kolbrúnar-Skallde*, quod amasiam (an sponsam) Kolbrunam rhythmis vernaculis, ut Catullus alter, celebrâsset. Quâ posthabitâ amentiâ, ad aliquid præclare agendum vel audendum, animum appulit. Accidit autem ut Thorgrimus quidam Trólle, Grónlandiæ prætor, viri, inter Islandos strenuissimi (Thorgeirus, *Skorargeir*, nomen is gerebat) famæ invidens, Islandiam peteret, mercatoris præ se ferens negotium; sed Thorgeiri, jam dicti, necem infandam meditatus, suoque inde nomini, laudis aliquod pollicitus. Verum aperto marte, virum non ausus aggredi, multo minus ad duellum provocare, rem dolo & insidiis peregit. Thorgeirus, in eodem portu, quo advenæ substiterant, navigationi, forte, in Norvegiam accinctus, ventos secundos expectabat. Quam inimicus clancularius, occasionem captans, sua mercimonia curat in terram deportari, quasi venum expositurus. Quod videntes Thorgeiriani, novarum mercium avidi, à suo Navarchâ, in terram descendendi veniam impetrant, & Thorgeirum solitarium, in suâ navi relinquunt. Expositarum autem mercium locus, fraude delectus est à nautis Gronlandicis, insidiarum sui Domini non ignaris, sub colliculo, qui visum utriusque navis interciperet. Quâ cædis

Thorgr. Trolle Gronlandiæ Satrapa.

perpe-

perpetrandæ commoditate arreptâ, mox Thorgrimus cum sicariorum, quos sibi clam reservavit, exquisito sodalitio, Thorgeirum solitarium, cum sibi ab homine ignoto nihil metueret, insanis modis adortus, post longam dimicationem, quâ hostes Thorgeirus validè sustinuit, vix tandem superior, trucidavit; cæde non incruentâ, nec sine suorum aliquot internecione; & Thorgeirus, immortali cum strenuitatis laude, tam indignum exitum habuit. Ad Thormodum revertor, cui hic Thorgeirus, amicus juratus, & Achates fidissimus fuerat, atque idcirco nefariam ipsius cædem, impotenter & ægerrimè ferebat. Gronlandicus autem prætor, infamis homicida, ut re laudabiliter gestâ, patriam illico gloriabundus revisit, omnem spem, in ventis, non virtute, quâ carebat, sitam habens; tantum sceleris, si pauxillam moram fecisset, ab Islandis, non impunè allaturus: ut & tandem, inultum non abstulit.

Etenim Thormodus, cui ob amicum ademptum, nec patria amplius dulcis erat, in Norvegiam vectus, Aulæ R. Olai Crassi, suâ virtute adscribi meruit; unde bonâ Regis cum veniâ, Grónlandiam invisens, ipsum primum Prætorem Trólle; deinde ejusdem ex duabus sororibus, nepotes quatuor, Grónlandiæ magnates, miro stratagemate, rarâ animositate (ut vir erat strenuus & manu promptus) non simul & semel, sed per intervalla, solus interemit. Non noctu, aut per occultas insidias, sed interdiu & in faciem feriendo; unico excepto, reliquorum validissimo, quem persequentem se, natatu strangulavit. Ad quam vindictam de hostibus tam diris & potentioribus, in solo eorundem patrio, sumendam, patratis per temporis intervalla (ut dixi) cædibus, homo peregrinus, & (quod ex dictis constat) solitarius, & latebris alternis, & toto triennio, opus habuit. Per quod triennium non prorsus otiosus sibi vixit, ultionem seu vindictam intermittens: sed simul Historiam Gronlandiæ, ab incolis, fidelissime addidicit; cujus Historiæ gratiâ, hæc verbosius prosecutus sum; ex quâ perplurima rhithmis vernaculis mandata, ad Aulam rediens Norvegi, populares suos non paucos, ibidem, & per Norvegiam, alibi agentes, edocuit: dum tandem, cum Rege & Domino suo, Olao Crasso (aliâs sancto) in conflictu Stiklastadensi, fortissimè cadens, occumberet.circa Ann. Christi 1030.

Hunc Refverus (ab ingenii sagacitate & solertiâ *Krakareffur* vocatus)

Kroka-refverus, ab hamo (metaphorico) Dan. en Kraag.

catus) excipiat; natus in prædio Islandiæ Occident. *Kvennabrekū.* (clivum fœminarum notat) circa Annum 1015. Sed jam adultior, in Grónlandiâ, totos IX. annos habitans, ab incolis quibusdam, virtutum ornamenta, ipsi invidentibus, lacessitus est. Quos cum acerbius ulcisceretur, indidem exulans, & ab Haraldo *Hardraade*, Norvegiæ Rege, veterum interventu simultatum, rigidius exceptus; Regem Daniæ Svenonem Ulfonis filium, cum donariis invisit; accipitres XXX. ex quibus XV. niveo præstabant colore; & ursos Grónlandicos quinque, ejusdem candoris, afferendo. Nec Rex clementissimus, hospitem suum indonatum sivit, quin filiis ejusdem, duobus in Aulam adscitis, & honorificè habitis, XII. pagos rusticos in *VVend-ſößel* Iutiæ, Advenæ Refvero, ad vitæ ipsius exitum, gratis indulgeret. Sicque Nostras ille Refverus, Cimbriæ celebris incola factus, cum Norveg. Rege; dicto Haraldo, vitæ discrimen sæpius objiciente, tam ingenii calliditate, quam mutuis injuriis aliquot, Dani favore & præsidio fretus, certavit. Exemplum dante, non illepidâ historiolâ (ut sic appellem) quam animi gratiâ huc adscribam. Cum sc. Haraldus navem 60. viris instructam, in Cimbriam ablegâsset, qui inimicum Regis, aut vivum reducerent, aut occisum referrent; ubi Refverus, insidias resciscens, senis decrepiti personam mentitus, assumptis vilissimis centonibus, & utraque manuum bacillis innixus, utroque etiam pede claudicans, litori in quo navis hostilis, ancoras jecerat, caduco vetulo similis, sese insinuavit; & mendicantium tremulâ voce usus, panem propter Deum, aut eleemosynam quamvis, nautas rogavit. Hi fallaciæ nihil suspicati, vicissim Silicernium, de villâ Refveri interrogant, & quam procul ab eâ absint? & salvusne & sanus agat? Respondet Senecio, illum quem quærunt optimè valere, nec eos, à villa procul abesse. Mox hostes præmio conductum mendicum falsum, argentum, 60. thaleros, pro nautarum numero æquante, paciscuntur; si & villam & villæ Dominum, sibi monstrare posset. Annuit ille: sed hac conditione; ut duos sibi lectos comites, ex suis adjungat Nauclerus; ne si plures unà conspicerentur, ab excubitoribus proditi, tam commodam occasionem perderent. Et se ostensâ comitibus istis villâ, villæque simul Domino, hac stipulatione solutum, datâ ab illis dexterâ compromitterent. Dictum, factum; abeunt; quos cum vicinum nemus, nautarum relictorum conspectui subduxisset; ibi bonus Refverus, projectis

projectis centonibus, arreptoque acinace, quem sub veste abſconderat, in additos sibi comites insurgit: qui se frustra defendere conati, è vestigio occubuerunt; ille aliâ semitâ quam venerat, ad mare nihil moratus, se proripuit, & propriam navem quam in abſcondito (de Norvegorum adventu maturè factus certior) viris & armis instructam habuerat, non imparatus conſcendit; & sic è latebris emergens, Norvegos illos, aperto Marte aggressus, intercepto navigio, contrucidavit, exceptis XII. ad Dominum Norvegum, redire jussis, ut de re gestâ, certum redderent: quibus etiam de Scaphâ vulgari, & commeatu idoneo, proſpici curavit &c. Et in hunc modum Refverus, cognomento suo, quod ab eodem hoc Haraldo, sibi imponente, olim acceperat; ut & alias, etiam hac vice satisfecit. Porro noster hic Refverus, cum filiis eximiis viris, Novennium (ut S.) Grónlandiæ incolis, sociisque aliis; tam Danos, quam ipsum, salutatum, sæpius accedentes Islandos, de rebus Grónlandicis, insigniter erudivit. Narratiunculæ quis finis.

Nec Helgo ille, ab arte Rhythmicâ, *Skalld-helge* vocatus, reticendus erit inter quos ex eorundem vitâ, in particularibus rerum Grónlandicarum conceptis, obvia, hæc narratio, non minimopere illustratur. Ille ex patriâ Islandiâ, in Grónlandiam concedens, celebris ibidem matronæ viduæ Thordisæ, conjugium adeptus est. Et sic Grónlandiæ incola factus, cum Islandis suis, quotannis Grónlandiam invisentibus, in decrepitam usque senectutem, magnam familiaritatem coluit, à quo illi vicissim, ut reliquis Gentilibus suis, illic agentibus, & Grónlandis jam factis, quæcunque de Grónlandiâ scitu digna videbantur, acceperunt. IV. Skalld-helgo.

Sed & Thorfinnus Kallſefnerus, celebratissimus est eorum, quorum fide, narrationem Grónlandicam indagamus. Is igitur, in Islandiâ quidem natus; sed à Regnero *Lod-brok*, generis originem trahens, uxorem habuit, Gudftidam, Thorberni cujusdam, magni nominis Islandi, filiam; verum in Grónlandiâ, cum jam secundo desponderetur, agentem; nupſerat enim antea Thorsteno Erici Ruffi, Grónlandicæ gentis conditoris filio. Quo defuncto, in tutelam, olim soceri, suſcepta ipso autore, ad secunda hæc vota transiit: & Kallſefnerus hac occasione, Grónlandiæ fit incola. Recens tunc vigebat fama Winlandiæ, terræ à Gronlandiâ, non admodum dissitæ; quam visendi, novos conjuges, cupido inceſsit: licet in ipsâ Grónlandiâ satis commodè viverent. Solvunt igitur, V. Kallſefnerus. V. Winlandia.

abeunt, & cum 60. capitum Sodalitio, in Winlandiam feliciter appellunt. Quibus triennium, in Winlandiâ commorantibus, filius Snorro, natus est, celebris postmodum Islandiæ incola: Reversus enim in Grónlandiam Kallfesnerus, indeque in patriam Islandiam Borealem, prædium *Glaumba*, situm à sinu ipso *Skagafiórd* paululum, coëmit; ubi etiam fatis functo, filius Snorro, in bona patris successit; Fundataque eodem in prædio Ecclesiâ, posteris & prosapiâ, satis clarus extitit. In quibus Thorlacus Runulfi F. isti Snorroni nepos; circa an. 1119. Schalholltens. Episcopus. Item Branderus pronepos, & ille Episcopus Schalholltensis, circ. An. 1163. Tum Biórno Islandiæ similiter Episcopus. Etiam Hauko, sive Hako, Islandiæ Nomophylax &c. qui omnes & singuli, multa ex majorum relatione hausta, ad Annales Islandiæ & Grónlandiæ contulerunt. Nam quis credat, Historiæ desiderium, jam tum in hac Gente nostrâ, adeo languidum factum, ut Episcopi & Nomophylaces, cum aliis viris primariis, quæ ad res nostras & Gronlandicas, spectare vidissent, turpiter neglexerint? Majoris sanè & scientiæ & diligentiæ exemplar, dedit, ille modo dictus Hauko (floruit circ. Ann. 1308.) conscripto nostrâ linguâ opere de origine gentis Islandicæ, Chorographico & Chronologico; quod ab autore *Hauks Bok*, nomen accepit; quem in priore hujus speciminis potissimum parte, secuti sumus autorem; Communicatum in illum usum, ab insulæ nostræ viro primario & magnate Aretio Magni F. ad nutum & postulatum Regiæ Majestatis, æquè omnibus incolis, publico diplomate, designatum; quorum ille ad hoc obsequium, R. mandato præstandum, facile Coryphæum se exhibuit.

Snorro in VVinlandiâ natus.

VI. Biórno Enarius.

Nec, dum autores primum habitatæ Grónlandiæ, colligo, omittendus est vir maximi nominis & famæ Biórno Enarius, nostras; qui urbium Principe Româ ter salutatâ: ut Ann. 1379. & alias; etiam ultimâ peregrinatione, in Terram Sanctam, Olavâ, conjuge suâ, comite, penetravit; ut fuit vir opulentus, nec sumptuum tenax. Is inter alia, itineris tædia & molestias, nimium in Oceano jactatus, in reditu Grónlandiam tandem non obiter attigit; sed diutulè ibidem subsistens, Nomarchiam Erichsfiordensem, ab incolis, virtutum ipsius non ignaris, oblatam acceptavit. Quâ ultra semestre, bene gestâ, quicquid notitiæ, de Rebus Grónlandicis haberi poterat, gnaviter perquisivit, ac in suum Itinerarium, quod extat, fideliter retulit, patriæque redditus, Annalibus nostris, intulit.

His

His itaque Autoribus, & testibus illustrioribus, nititur, quicquid de Gronlandiâ nostrâ, sive nobis vicina (Ansgarius suam sibi, suosque Grónlandos habeat; cùm adhuc; quippe Ann. Christi 834. nulli essent Grónlandi, post annum demum 952. primum existentes. Quod suo modo & Annorum supputatione, de Islandis dici debere, ex superioribus liquet) monumenta suppeditant nostratium. Non FAMAM vagam allegamus; sed viros, hoc Senario, nomine indicatos, quorum testimonium sit exceptione majus. Quibus si accedant ex Grónlandiæ Episcopis, supra recensitis, nonnulli, etiam in Islandiâ aliquoties versati, & eadem hic, quæ Annales exhibent, confessi: nescio quid ad certitudinem nostrorum monumentorum, ulterius desiderari possit. Ex Episcopis primum Arnhaldum nomino; qui ad Isthmum Occidentalis Islandiæ, *Hitaar nes*, facto naufragio, cum nautis aliquot, salvus evasit; & Comitiis insulæ, Anno 1126. interfuit; ut supra. A quo dorsa maris, in quæ impegerat, *Biscops Bode*, etiam hodie appellantur; & palus in eodem stagnans litore, *Liikatiórn*, quasi funerum vel funesta palus, vocatur; quâ palude, submersorum cadavera, in litus, undarum alluvione projecta, abluebantur. Ibidem quoque reperti sunt subinde, dentes balenarum, preciosi vel potiores, naufragio submersi, maris æstu, in siccum rejecti, ac literis Runicis, indelebili glutine, rubescentis coloris, inscripti, ut nautarum quilibet suos, peractâ aliquando navigatione recognosceret. Intelliguntur enim navis alvo, tanquam pro saburrâ, confusim, & absque alia asservatione, injecti fuisse. Non dissimilis autem glutinis, meminit P. Vndalensis, in descriptione Norvegiæ. pag. 57. quod ibidem videre est. Hæc Arnhaldum commemorans, ad rei certitudinem attexui. Ille autem vir, non fuerat vulgaris quispiam rerum & temporum observator (quo minus Rerum Grónlandicarum notitiâ, imbuere potuerit Islandos, si res postulasset) qui post 28. Annorum Episcopatum Grónlandensem, promotus est ad cathedram Hammerensem in Norvegiâ, bene provectæ ætatis, Anno Christi 1152.

Ex Episcopis etiam Grónl. nonnulli in testimonium producti.

Ab Arnhaldo proximum, ex Grónlandiæ Episcopis Ionam secundum commemoro. Anno 1189. & iterum. 1203. in Islandiâ agentem, ut & Olaum, in Islandiâ biennium exigentem, nempe Anno 1262. & sequentib. Postremo Andream circ. An. 1461. Grónlandiæ Episcopatum, & Schalhollt, Vice-episcopatum, simul gerentem;

rentem; & controversiis, eo spectantibus, in Islandiâ præsentem, occupatum, ut supra.

Hæc ita carptim, ex veterum documentis, de Grónlandiâ inventâ, habitatâ, conversâ, deditâ; quæ quam parum ad Ansgarianam æram, in tabellis, jam sæpius dictis, expressam; nempe Annum 834. &c. faciant, me silente, res ipsa loquitur, ita ut alia jam Grónlandia, sicut etiam Islandia alia; Ansgario quærenda sit. Quantum hæc Grónlandia distet & differat, à FFr. Zenorum Entgrónlandiâ, hic multis ex eorundem Historiâ, operi D. Pontani conjunctâ, (ad quam Lectorem ejus cupidum remitto,) repetivisse, operæ precium non est. Illam namque, quicunque inspicient; non tantum æra lupinis distare; aut candida, nigris; ipsi prospicient; vel propter hortos illos (Adonios dixeris) etiam in brumâ florentissimos; & alia infinita. Quod nisi admittatur, & nisi, ipse D. Pontanus, dictarum tabellarum autographa (de apographis non sum sollicitus) legerit, utriusque Principis sigillo, probe munita, magna omnino suberit suspicio, Monachos aliquos posteriorum temporum, sanctitatis & sedulitatis Ansgarianæ, palpones, Islandos & Grónlandos, in tabellas istas, jam typis mandandas, (aut eorundem apographa) infercisse: atque sic Ansgarius culpa vacaret; sin minus, in ipso solo, ejusque instructione, cudetur hæc faba: nec in dante. Sed petente & postulante, hoc quicquid est hallucinationis, adhærescat. Enimvero, cum in literas divinas, addendo, adimendo, invertendo, immutando, plurima sibi permiserint, diversi temporis hæretici; quid in Humanas, non audebit aut præsummet, mortalis ingenii procacitas, ut suæ alicui intentioni satisfaciat?

Nam ut Formula Sacramenti, sive Fœderis, inter Imp. Carolum Magnum, & Hemingum Dan. Regem, pacti, apud Historicos posterioris seculi, *Corruptissima* exhibetur; teste Pontano, pag. 95. quam tamen dubium nullum est, disertis, integerrimis, & incorruptis verbis, fuisse primum conceptam & confirmatam: Ita instrumenti Principum formulam, Ansgariana, illa privilegia continentem, non fuisse, eidem corruptionis Fato (additis non addendis) apud scriptores, vel Monachorum amanuenses, ævi subsecuti, obnoxiam, quis sponsor dabitur? Aut non esse corruptam, quis fidejussorem, se interponere velit aut possit? nisi, inquam, Autographa obsignata & integra, ac Islandorum & Grónlandorum nomen,

men, inter reliquos populos, exprimentia, proferantur? Quæ si maximè proferantur, ad ea tamen hactenus, sufficienter responsum; confidimus, moderatis arbitris. Corollarii tamen loco, addere non piguit si Hollandia, Germaniæ reliquæ, & Daniæ, adeo vicina, ævo Saxonis Gr: parum adhuc nota fuit, aut nominata; multo minus Islandia remotissima, ævo Ansgarii, tanto Saxone anterioris, eidem Ansgatio innotuisse potuit. Sed verum prius. Ergo connexum probat, ipse omnium sensus communis; cui si quis eat contrarius; principia negans, & disputatione indignus habetur. Assumptum firmabunt, verba D. Pontani pag. 22. Ope-„ ris Hist: in Fridlevo. Rege Dan. XXII. ubi disertè asserit; Hol-„ landiam adhuc ævo Saxonis, parum nótam aut nominatam fuisse &c. Addo; nedum Islandiam, Ansgario, aut Ansgarii ævo, 336. Annis Saxone superiori, circiter; si annus obitus utriusque notetur. Ansgarius enim Anno 865. Saxo autem 1201. juxta A. *VVitfeld*: vivis excessisse traduntur. Et jam Partis II. membro II. diutius immorari visum non est. Nam porismata, exposito Syllogismo connexo deducenda, ut cuivis, hujus membri discursum pensitanti, obvia consultò missa facio.

PARTIS II. SPECIMINIS,

MEMBRVM. III.

De Pecvliari Sectione Vel Capite; quo cum solo Arngrimo, de Quæstione controversa, D. Pontano placuit sententias conferre.

MAGNA, in primis gratia, summo viro, Historicoque gravissimo, Dn. Pontano debetur; quod libellos meos, luce hac indignos, inspicere, atque ad eorundem lectionem, magnam afferre humanitatem dignatus sit. Adeo enim Typographicis mendis scatent (præter Autoris inertiam) me toto orbe absente, ut despectum, non aspectum mereantur Eruditorum.

Hujus vero ultimi membri Partis II. Scopus hic est; ut eruantur carptim, ex hoc capite, & vindicentur, quam circa Thules & Islandiæ notitiam habet Crymogæa; prout ea D. Pontano, repetere & allegare visum est; quæque responsum potissimum requirere videbuntur. Sic itaque ille, initio pag. 752. Sunt, inquit, verba Arngrimi [dicto jam loco: sc. Crymog: lib. 1. cap. 1.] &
,, Et Islandia quidem has appellationes [tres sc.] ab Inventoribus nacta: nam ad quartam quod attinet, Thule, quæ huic ,, terræ à quibusdam affingitur, non possum adduci, ut veram ,, esse credam: hoc potissimum argumento. Quod Thyle seu Thule, ,, inter veteres, non solum Plinio; & qui Plinio antiquior, Pythiæ Massi: sed etiam Pub. Virgilio &c. in ore & scriptis frequens ,, fuerit. Islandia autem ad Ann. usque Christi 874. ut postea dice-,, tur, inculta prorsus manserit. &c. [& à Floccone piratâ primum, circa tempus jam dictum, Islandia sit nuncupata]. NB. Ista, cancellis inclusa, in contextu Crymogææ non habentur; ut supra monitum; nec hoc loco ulterius iterandum erit. Thule itaque, quam Augusto servituram, dixit Verg: & Augusti & Ver-,, gilii temporibus, non solum habitata, sed etiam Romanis co-,, gnita, non est Islandia, multa post secula, primum habitari

cæpta

cæpta &c. quæ quia prolixiora ſunt, videantur, ſive apud eadem citantem Pontanum, dicto jam capite; ſive in ipsâ Crymog. His poſtmodum addit D. Pontan. mea obiter retexendo. Hactenus „ Arngrimus; id potiſſ: argumenti loco ponens: non poſſe Thu- „ len eſſe Iſlandiam; quod ea Plinio Vergilioque, & his multo an- „ teriori, Pythiæ Maſſil: in ore & ſcriptis frequens fuerit; Iſlan- „ dia autem inculta manſerit, ad Ann. Chriſti 874. atque inde; „ quod poſt Pythiam, Vergilium, Pliniumque, Claudianus, eo- „ que aliquot ſeculis prior Statius Papinianus, Thules accuratè „ meminerint. Quæ omnia convenire Iſlandiæ, ad Annum uſque „ jam dictum, inhabitatæ, incognitæque, haut poſſe. Sed arri- „ pit elegantiſſimus alias Arngrimus, quod etiamnum eſſe in „ quæſtione exiſtimamus.

Hinc factâ ſuperioris ſuæ, ex vetuſtis Autoribus, diſputationis, anacephaleoſi; inquit D. Pont. D. Pontanus quadruplici argumento pugnat.

„ Nam ſanè Thule, ut eſt jam ante teſtantibus Autoribus Claſ- „ ſicis oſtenſum; cum I. ex Angliæ, ſive Britanniæ, non modo „ Borealibus Promontoriis; ſed è Norvegia quoque (Plinius Ne- „ rigon dixit) adnavigari ſit ſolita: quomodo & hodie fit. II. Sit- „ que inſula inſuper, non exigua, ſed capitalis, & quæ Hiberniâ „ non multo minor, ab iiſdem deſcribatur. III. Eoque ſitum pa- „ rallelo ac longitud: cujuſmodi habere hodie depræhenditur Iſ- „ landia. IV. Nec alia præter hanc [inſulam] Iſlandiam, eo tra- „ ctu talis inveniatur; cur eſſe Thúlem, magnopere negabimus „ Iſlandiam? Ita quidem clariſſ. Pontanus, compendio præmiſſæ diſputationis, meam negativam, Quæſtionis controverſæ: An Thule ſit Iſlandia; quadruplici fere argumento, petit & impugnat. I. Navigatione ex Nerigon & Britanniâ, in Thulen, quam, ut & ſequentia, ex Autoribus claſſicis, diſerte oſtenſam affirmat. I. A Navigatione ex Norveg. & Brit. in Thulen.

Reſp. diſerta quidem eſſe D. Pontani omnia, atque adeo diſerta, ut ſi à minus diſerto afferantur, minus habitura ſint veriſimilitudinis. I. Et primò quidem Navigationem illam, ex Britanniâ & Nerigon in Thulen, nunquam negare aut infringere animus fuit; ſed quid vel quantum hæc navigatio faciat, ad convincendum Iſlandiam eſſe Thulen; dixi ſupra (de Thule Pliniana) me non capere, aut iſtius Argumenti robur agnoſcere; quo etiam lectorem meum remitto, ne actum agam. Parem autem vim habet Britannorum, quam Norvegorum, in Thulen navigatio, ad propoſitam

Quæſtio-

Quæſtionem afferendam. Eadem porro navigatio, ex Nerigon &c. pag. Pontani 749. ad Thules & Thulenſium appellationem, Thelemarchiæ, & Thelemarchicis ſubtrahendam, (aliâs tamen à Pontano iiſdem indultam) urgetur. Sed quid dicendum? ſi Plinius per Nerigon (quam inſulam facit) inſularum Norvegiæ Septentrionalium aliquam (quarum plures ſunt, *VVardöja*, *Bjarchöja*. Hiſingia &c.) ex qua in Thulen ſive Thelemarchiam, navigatum ſit, forte intellexerit? Fuiſſe etiam ex Norvegia Septentrionaliore, ut Findemarchiâ, Halogiâ, Naumdaliâ, Nidroſiâ &c. (ut jam has Nerigon Plinius dixerit,) in Thulen, ſive Thulemarchiam (an Thelemarchiam) tanto Auſtraliorem navigatum. Annon rectè dixiſſet? licet ſecundum litus, ut cum Hafniâ vel Coagiâ, Helſingoram navigatur; quæ propterea non ſunt diverſarum inſularum urbes. Nec vero de nihilo eſt, aut nullius momenti, quod iſtis in locis, ubi Norvegiæ tractus, ſit Scaniæ conterminus, Iſthmus vel promontorium exiſtat, Thulenes dictum. Vide Chronicon Norveg. Danicum; fortaſſis à Thule, vel Thulone Daniæ, & ut mihi perſuadeo, Scaniæ, aut vicini tractus Domino & Heroe celebri: cujus memoriâ etiamnum, in iſtis oris Rhythmo viget vernaculo ex quo vulgatum illud Hemiſtichion.

Thulenæs. Scaniæ promont.

Leſſüer hand Thule *VVogenſönn, och det ſkall haffnis &c.*

Illud autem Thulonis nomen primum fortaſſe Gentile, ex aliquâ vicinæ Norvegiæ orâ (ut Thulenæs) originem trahens, ſeculo poſteriore, (ut hujus Thulonis ævo,) in proprium, ut fit, abierat.

II. Argument. Pontani.

Magnitudinem Iſlandiæ (quæ hic ſe loco argumenti vice aſſumitur) aliam quam quæ in Crymogæa & Apologetico, annotata reperitur, incertam & incompertam reor; etiam ipſis nautis, qui illam propius dimenſi traduntur; Teſtimonio, nobis ignoto. Et ut ſit Iſlandia permagna, & inſula capitalis, ſicut Thule vel Sicilia, quod convincet? III. Ad illud autem quod Thule deſcribatur eo ſitu, parallelo & longit: cujuſmodi Iſlandia habere, hodie depræhendatur; etiam ſupra reſponſum. Videri nempe ſitum Thules Ptolemaicæ, magis eſſe verſatilem, quam ut inde concluſio Pontani, neceſſario ſequatur; id quod ipſe non cælavit Pontanus, nec diſſimulavit; dum pro ſitu Thules Ptolemaico, intercedit, ne ſtrictè de illo agatur; ut ſupra. Hic vero ab eodem, tanquam certo certius explorato (ac velut jurato,) utrobique plane

III. Argument. Pont.

ſitu,

situ, parall. & longit. argumentatur. Sed (bonâ ipsius cum veniâ) non apodicticè. Vide superius, ad autoritatem Ptolemæi annotata.

„ Quartum Argumentum, his verbis constat. Quod non alia ta- IV. Argument. Pont.
„ lis [qualis Thule] quam Islandia, illo (Oceano) tractu, insula inveniatur &c. Magnum sane argumentum, & assertio; si æque explorata & certa. Quod dum sine ratione affertur, eo ipso modo, sine labore repellitur, ubi mirum est D. Pontanum, non mentionem fecisse, insularum, in hoc Oceano inventarum, quas navigatio Zenorum FFr. suppeditat, quas me idcirco recensere non pigebit. 1. Primo quidem Frislandiam, quæ circa Ann. 1380. Zichinum Regem habuerit. (Frisland.) 2. Grislandiam; insulam permagnam, licet tum non habitatam. (Grisland.) 3. Sed & tertiam Estlandiam, quæ inter Norvegiam & Frislandiam sita sit. (Estland.) 4. Insulas septem quas eadem Historia Islandiæ adscribat, nescio cui, certè nostræ non Islandiæ; de quibus vide supra. (Islādic. 7.) 5. continentur hac Zenorum Historiâ, insulæ aliquot dictæ modò Frislandiæ vicinæ, ac versus Meridiem oppositæ; ditissimæ quidem illæ (ut habet Historia) & maximè populosæ; Portlandiæ nomine venientes. (Portlandia.) 6. ut Sexto loco, Winlandiam A. Bremensis [de situ Daniæ Norvegiæ & Islandiæ] quæ ipsi insula est, non taceam; quum eam Antiquitates nostræ, quodammodo loquantur, vid. mentionem & discursum de Grónlandia superius. (VVinlandia.) 7. Nec est *Færórgia* omittenda; quam sunt qui Thulen faciant. (*Færórgia.*) 8. Nec, octavo Moria, insula in mari Britannico, Sabellico memorata. (Moria.) 9. Nec Mycteris, ejusdem autoris, 6. dierum navigatione à Britannia. (Mycteris.) Vbi & hoc notetur, quod Thulen vocet Sabellicus, ultimam omnium insularum, quæ Secundum Britanniam memorentur; quo idem dicit, cum Plin.

Tandem & hoc addam, quod pag. 755. dicat Pontanus, HistoriamFFr. Zenorum spectare Islandiam, eique insulas vicinas &c. 10. nominat Pontanus generaliter insulas vicinas Islandiæ. Ergo jam dubiumn ullum est, alias quam Islandiam, hoc tractu inveniri insulas, sed an tales, qualis Pontano? ipsa Thule aut (quæ ipsi eadem est) Islandiâ; incompertum. Harum vero omnium situm prius disquirendum, merito existimamus, Dn. Doctori; quam irrefragabile sit; non aliam ab Islandiâ, dari aut inveniri, in hoc Oceano, insulam talem (qualis ipsi est Thule) quæ ipsius est, sat animosa, si sat ponderosa assertio. Nec vero propterea, quod Ptolemæus, insulas hu-

jus Oceani tacuerit, nullæ ſunt. Videatur ultimo loco Crymogæa, de Terrâ incognitâ, juxta Iſlandiam conſpecta, Ann. 1285.

Terra incogni- ta viſa.

Hic jam meminiſſe, oportunum erit, conjecturæ, circa Friſlandiam, quam Crymogææ intexueram, olim, ſcriptorum monimentis, non ſatis inſtructus; quam conjecturam, poſtquam Zenorum Hiſtoria innotuit, retracto, atque ex Crymogæâ ſublatam cupio; quanquam conjectura illa, non ſimpliciter, ſed limitatè poſita ſit; indidem tamen expunctam volo. Nec enim ad veriora, aut veri ſaltem magis ſimilia, animum pertinacem, unquam afferre volui.

Ad D. Pontanum redeo; qui in mea, circa Thulen & Iſlandiam, deſtruendâ ſententiâ, ſic pergit, dicto loco:

„ Aſt, inquit, obſtat (ſc: Arngrimo) quod ad Ann. 874. inculta jacuerit Iſlandia; & eo tum demum temporis tractu, nominis illud acceperit inſula &c. Hoc ſi aliter ſe habere, ac certis oſtendere documentis, multis ante id tempus, luſtris, non dico inditum id nominis, at celebratam fuiſſe eo nomine Iſlandiam, nonne quod cupimus confectum dabimus; jacebitque plane ſubrutum, quo hæc innixa ſunt, Fundamentum. Et ne longe abeamus; ecce Anſgarius, cujus in Hiſtoriâ ſuperius memini, quique floruit circa Ann. Chriſti 824. & quod excurrit, ab Imperatore Ludovico, Caroli Magni F. ad Archiepiſcopatum Hamburgenſem evectus, Septentrionis populos; [in quibus Iſlandi & Gronlandi notantur in diplom.] ſuæ curæ acceperit &c. Ad hanc oſtentandam curam, adhibentur principum illa diplomata, de quibus, 11. membro, hujus partis, eſt actum; & non nimium contentioſis, ut ſpero, ſatisfactum. Hic interim ille eſt aries, hæc catapulta, meo ſubruendo Fundamento, deſtinata; quorum tamen impetum ſpero, ſuperioribus propugnaculis & oppoſitis munitionibus, infringi & retuſum iri. Nihilominus magnum fragorem, & „ velut tonitru quoddam, hæc verba edunt [jacebit plane ſubrutum, quo hæc innixa ſunt, Fundamentum] Quod verborum „ Fulmen, quia paulo poſt redibit, novam loricam præmiſſi propugnaculi, eouſque differemus; ſi hic unicum ex adductis modò „ verbis Pontani, prius repetam. Nonne, inquit, quod cupimus, „ confectum dabimus? jacebitque ſubrutum &c. Nempe ſi oſtendat Iſlandiam, ante Ann. 874. fuiſſe habitatam. Reſp. Quid potiſſimum in hoc negotio cupiat vir clariſſ: palam eſt, & apud animum

meum

meum satis definitum, videlicet; invictis ostendere Argumentis Thulen esse Islandiam: non enim inficias iverit: & hic verus est status Quæstionis controversæ; à parte affirmantis: quem mihi everti aut inverti, sciens volensque non patiar. atque id hac ratione, consecutum Pontanum, & si convicisse videatur; Islandiam, ante Ann. dictum toties, 874. fuisse habitatam, strenue negatum imus. Non enim hæc duo; Islandiam esse Thulen: & Islandiam esse, ante Annum toties expressum, habitatam; tam arctè cohærent, ut se mutuò tollant & ponant. Quis namque tam bardus fuerit, quin videat habitationem ante An. 874. posse & potuisse Islandiæ competere; ut interim, non sit Thule, antiquissimis habitata temporibus? Aut quomodo inhabitatio, esto pluribus, ante nimis repetitum Ann. 874. lustris, quam diplomata illa assignant facta, vetustissimam Islandiæ habitationem importare valebit? Sanè, si hæc Argutatio; Islandia est multis ante 874. annis, habitata; ergo Islandia est Thule &c. pro me faceret; illam mihi vir clariss: non indulgeret. Sed me cum meo connexo tali; si Islandia ante Ann. 874. habitata est; tum Islandia est Thule &c. nescio quo relegaret. Quid igitur causæ est, cur ejusmodi collectionem, Fundamentum meum destructuram, quibus possum modis non redarguam? nisi forte pauperum illam libertatem, amplexandam, aliquis Islandis injungat, ex Poëtâ veteri Quæstionis verus status.

Libertas pauperis hæc est,
Pulsatus rogat, & pugnis concisus, adorat,
Ut liceat, paucis cum dentibus, inde reverti &c.

Sequitur apud D. Pontanum, Poëtarum veterum, facta de Thule, mentio, qui in Crymogæâ allegantur; eidemque vada caligantia adscribunt: quæ (quod scirem) Islandiæ minus competere dixeram, in Crymog. Pontanus illud, de vadis, minus admittens, inquit; quod vada caligantia, insuper in verbis Papinii, „ convenire Islandiæ, neget Arngrimus; quia, ut inquit, ibi „ nulla, nullæque Syrtes, aut brevia sint; haud tamen negaverit „ puto, sudare haut leviter Naucleros, priusquam in tutum, & „ intra petras & rupes prominentes, navem recipiant. &c. Resp. Minuta jam consectatur, Magnus ille vir, ut illa collatio, quam mecum instituere dignatus est, nimio laconismo, deformis non appareat: id quod de pluribus, quæ adhuc reliqua sunt, videri poterit. Sed ego interim, ad ea, quæ indagatione, non dignatus est,

 tus est,

tus est, respondere, non gravabor. Et de Vadis, ajo, non simpliciter à me, Islandiæ denegata, sed cum limitatione QVOD SCIAM, quam mea referendo omissam nollem; si tanti res foret. Nec de vadis sententiam muto; nam hactenus aliter non constat.

„ Addit D. Pontanus. Nam & verba tua Arngrime &c. meminisse potes, quæ sunt Crymogææ l. 2. pag. 172. ista videlicet; quidam Sculerus, dux Norvegiæ, circa Ann. 1219. bellum Islandiæ minabatur; sed proprio consilio impeditus, tum ob Oceani vastitatem, tum ob difficultatem portuum. Ego vero, clariss. Dn. D. probe ista memini; & si excidissent, hac suggestione reminisci possem. Quibus interim, de vadis Islandiæ, aut brevibus, nihil specialiter assertum existimo. Nec enim omnem difficultatem, dixi (ut inde qualibet species inferri posset) portuum siquidem illa difficultas, aliunde existere poterit, quam à vadis, ut me contraria hic locutum non statuam. Etenim difficultas illa, alibi alia est. Sunt namque scopuli seu dorsa maris, pro undarum reciprocatione, nunc magis, nunc minus conspicua: in quorum tamen circuitu, vada nulla (quæ à vadando mihi veniunt) sed gurges profundissimus reperitur. Sunt passim sinus longiores, angusti etiam, & anfractuosi nautis intrandi, vix eâdem navigabiles aurâ: quibus si nives & nebulæ accedant, ac tempestates validiores (addo tenebras nocturnas) quas jam difficultates (ut absque brevibus sit & vadis) non experientur nautæ, nimiumque sudabunt? Est etiam portuum, nimis apertorum alia difficultas, nullis non tempestatibus, & undarum æstui obnoxiorum. Est & illa, licet portus ipse, aditum commodum præbeat, fundum tamen maris minus tutum, & retinendis ancoris, non satis idoneum sæpius experiuntur, infelices nautæ, ingruente tempestate. Quod sat multis & nuperis, Dan. Negociatorum, naufragiis, hic factis, compertum est. Hujusmodi difficultatibus portuum, & earundem constanti famâ, consilium expeditionis marinæ, in Islandiam, satis causæ erat, cur mutaret Sculerus; præterquam quod ipsum Regem & Senatum consentientem non haberet.

Difficultas portuum Isl. præter ipsam vada.

Nox exigua. minima. nulla.

Sed improbatur præterea, à Dn. Doctore, quod dixerim: si à noctium & dierum quantitate argumentandum foret; Britanniam fere Thules appellationem mereri, secundum Iuvenalem, & alios, canentem;

Et mi-

—— & minimâ contentos nocte Britannos: aitque Pontanus. Si verba Iuvenalis rimemur; non tribuit Britannis noctem nullam sed exiguam &c. Et ego replicans, ajo, non dixisse Iuvenalem exiguâ, sed minimâ. poterit autem nox aliqua; ac minimâ tamen longior, dici etiam exigua, hæc vero minima, ad nullam proximè accedit. Quodsi jam scriptores, pro parte affirmante, contra meam negativam producti, eo rigore tractentur, quem hæc verba Pontani designant, minus officient. Quibus, quo studio, quantâ arte, & facundiâ, D. Pontanus patrocinetur, alios emolliendo, interpretando, excusando alios, ex ipsius Scripto mani-
„ festum est. Hinc de loci latit. addit: quod affertur (ait postmo-
„ dum P.) quodque pensi habere, summopere non videatur; etiam-
„ si ea Thuli, eadem quæ modo Islandiæ, olim tributa fuerit: mi-
„ hi sane, & pensi hoc & ponderis alicujus habeatur; accedente
„ præsertim Ptolemæi delineatione. R. Illud si pro affirmante quæstionis parte pugnare debeat; Cur Thilemarchia Norveg. cui pag. 683. latitud: 63. gr. à Pontano adscribitur; non æque erit Thule Ptolemaica, ejusdem latitudinis? Aut quare Islandia Meridion: eâdem latitudine à Pontano notata, non æque erit Thilemarchia, ac Thule?

De latitud: Thilemarchiæ, quod dico, apud Pontanum, sic ha-
„ betur pag. 683. Quibus Thulemarchicis, sive Thilemar: (indif-
„ ferenter enim repperitur) etiam circa brumam, sol conspicitur,
„ utpote collocatis, intra pol. Borealis. 63. gr: elev. Quæ verba, pa-
„ rum abest, quin Thilemarchiæ 63. gr. elevat. tribuant, quantum capere ego possum. Dicat enim licet intra 63. intelligo tamen ultra 62. nec integro gradu differre. De Ptolemæi delineatione & autoritate, ad fastidium usque supra. Quamvis autem pag. 749. Pont. alia latitudo Thilemarchiæ assignata legatur 56. vel ad summum septem gr: illud tamen hoc loco, nihil moramur, quæ si ἀντιλογία sit, Autori fuerit dirimenda.

Sequitur de P. Rami & Ioh. Myritii autoritate, non alio conspi-
„ cuo argumento, rejecta, quam quod illorum sententia, per-
„ crassis erroribus & Sphalmatis, non careat: Thulen non esse Is-
„ landiam statuentium: quæ Arngrimus ipse, haut prætereunda censuerit &c. R. cum horum autorum percrassi errores, non aliter monstrentur, quam quod de Thule & Islandia, diversis, idem mecum & aliis sentiant, evidens est pro argumento adhiberi, de quo

adhuc controvertitur. quale aliquid supra, à Pontano, mihi, quamvis, meâ sententiâ, immerito objectum fuit. Quod si situm utriusque insulæ, intelligat D. Pontan: ab istis assignatum Autoribus, meminerit etiam suos nutare autores; quos tamen propterea, nolit penitus rejici. Quis enim in Ptolemæi autoritate plus fiduciæ posuit, quam clariss. Pontanus? quis Bremensem, de Thule & Islandiâ avidius & arctius, Pontano amplexabitur? Ast interim, quis eorundem, non crassos modo, sed turpissimos, ac multis indoctioribus indignissimos lapsus, quos passim sine fronte & impudenter in conspectum Reip. literariæ protulerunt, quam ipse Pontanus, liquidius manifestavit? Sed absque eo foret; & nisi errores ipsorum, tam spissi, tamque ab ipso, quam aliis, ad unguem retecti, & retexti fuissent: quis illos errorum saltem insimulando, nihil demonstrando, audientiam meriturum se speret? Ast Arn-
„ grimus censuit, istorum scriptorum percrassos errores, & Sphal-
„ mata, non prætereunda esse &c. Vnde habeat hoc Dn. D. vix conjicio. Iudicent, ex verbis meis, an dictos Autores errorum, aut Sphalmatum crassiorum accusent aut damnent, quibuscunque Crymogæam inspiciendi otium est: ubi sic legitur qui [P. Ramus & Ioh. Myritius] quam rite Thules longit: & latitud: hoc loco attigerint, nihil refert; modo eam [Thulen] ab Islandiâ diversam statuant &c. Plus itaque videtur esse apud D. Pontanum in consequente; quam apud Arngrimum fuit in antecedente, & plus acceptum, quam porrectum fuerat. Possem si tempus ferret, plurium Autorum exhibere sententias, qui à Ramo & Myritio, de situ Thules, non multum diffident, (ne soli à D. Pontano vapularent) sed ea res omnibus est obvia, atque idcirco omittenda hoc loco.

Crymogæ.p.14.

Accedit tandem, apud D. Pontanum, repetita mei Fundamenti (hoc est Annalium Island. & Norveg.) censura & sententia per-
„ emtoria, his verbis: Satis habens, fateri postremo Arngrimum;
„ ruere Fundamentum suum, si ostendi possit; ante An. 874. &
„ notam & nominatam, atque inhabitatam fuisse Islandiam, quod
„ cum à nobis plene jam perfectum existimemus, hic quoad ista
„ subsistimus. &c. Resp. Ego verò clarissime Pontane, ubi aut quando hoc fassus sim, aut scripserim, scire, reperire, aut reminisci, nullo modo possum. Librum igitur, paginam & paragraphum, productum oportuit, in re tam seriâ, ne inficiationi relictus locus esset, nam id me unquam fassum esse, constanter pernego. Incumbit au-

Sententia peremtor. Fundamenti.

bit autem affirmanti, tantæ aggravationis probatio apodictica. Verba mea, hac de re, in Crymogæâ extant, hæc nempe. Si Islandia, eadem esset, cum Thule, rueret totum hujus narrationis Fundamentum, de Islandiâ: Ann. Christi 874. primum habitari cœptâ; &c. Quod tamen, cum irrefragabilis, Historiarum consensus firmet, ruat illud necesse est: Thulen esse Islandiam &c. Quis hic non videt, narrationis meæ Fundamentum, ad hanc propositionem; Islandia non est Thule; astringi? non vero ad illam, vel talem; Islandia ante An. 874. non est nota, nominata, nec habitata; nam sic idem per idem probaretur, more quorundam. Miror itaque, nec tamen satis; quare statum verum & genuinum hujus Disputatiunculæ, mihi ita invertere, Dn. D. voluerit; & pro hac propositione: Islandia non est Thule; inverso statu, aliam substituere: Islandia non est ante An. 874, habitata; quæ ut ratio & Argumentum Propositionis Principalis adhibetur: non vero ut status disputationis, propositione, sive Quæstione principali contentus. Contra quam rationem, si directè pugnâsset, eamque expugnâsset; relinquuntur tamen aliæ, aliaque fulcra, principali propositioni inservientia, & quasi subsidio adhibenda; id quod ex toto discursu, patescere volui. Sed delegit sibi, ut dictum est; talem statum formandum, D. Pont: utrum ante Ann. ad tædium usque repetitum, habitata sit Islandia? atque ad illam ruentem, vel secus, ruinam Fundamenti mei (vel ejusdem Salvationem) *Confitentem* me, quasi alligatum retinere. Sed salva res est; producatur & publici juris fiat, ex aliquo meo libello, talis locus, verbaque tam ingenuæ confessionis; quam ex D. Pontani scripto, excerptam verbotenus, mihi ab eodem ascriptam dedi. Ego eventum intrepidus expecto; & locum aliquem, si causa inclinet, inter veteres *Confessores*, merebor.

Lib. 1. cap. 1. pag. 13. paragr. 2.

Quæstionis status à P. inversus.

☞ Cæterum de Anno 874. & hunc, Annis 40. anticipante, Anno 834. privilegio Ansgariano, adaptato, quid statuendum fuerit? dicam. Si maxime de hoc Anno Ansgariano, intentionem suam Pontanus obtineret. (quod nondum satis excoctum est) non tamen propterea labefactari, Originis & Reipublicæ Islandorum; sive translatæ in Islandiam desertam, coloniæ, Historiam. Quia nec inclyta Daniæ Historia, propterea malè audit; quod DANO. I. varia ab autoribus æra, & maxime discrepans adsignatur. Dum alii Annum 1073. alii 490. alii

Dano I. Regi Dan: varia æra assignata, teste Pontano Pag. 38. operis Historici.

alii 308. ante natum Christum, Dano primo ascribunt. Vt igitur inde, Historiæ RR. Daniæ, Fundamentum non convellitur; Sic —(si parva, licet componere magnis) licet privilegium Ansgarianum, Islandiæ primum habitatæ tempus, ex Annalibus depromptum, Annis, tantum 40. anticipet, & verissimum probaretur; nostrum inde Fundamentum everti non poterit. Nisi ipsam Inclytæ Daniæ Historiam, eidem fato subjacere, quis putet. Dico & sæpius idem inculco, ex Anno privilegii Ansgariani, ut nunquam de Thule & Islandiâ, iisdem rectè concluseris; ita neque de subruto nostro Fundamento, indidem rectè intuleris, quod à Thule & Islandiâ diversis pendet, magis quam à temporis habitatæ primum in insulæ, assignatione. Quod hactenus fuit.

Confessio Pontani importuna. Ne vero rigidior hic sit, humanissimus alioqui Pontanus, subjungit: „ se non illibenter Arngrimo concedere; si lingua Gentis, „ aliaque respiciantur; Norvegiæ præsertim coloniam esse Islandos: „ sed antiquissimis temporibus, eò delatam &c. & quidni Antiquissimis? & forte ante ipsam Norvegiam; si Islandia sit Thule Pythiniana, imo, & ipso Pythiâ antiquior Thule; foretque ita Islandorum colonia, sua Origine, antiquior: quod est ἄτοπον, & absurdum Historicum, aliis ut judicent, relinquendum. Vide quæ de hac Antiquitate, ad Thulen Plinii & Bremensis, populos multos Islandiæ ascribentis, supra fuerunt; ut &, quæ ad hanc Pontani concessionem, ad calcem partis prioris, respondi.

NB.

Verborū Gyrald. expositio, ut quæ contra ipsum faciat rejicitur. Ejusdem porro Islandorum coloniæ, antiquitatem, Gyraldi & Cambdeni autoritate (in Topographia Hiberniæ) hic confirmaturus, videtur Dn. Doctor, dicentis: non Orcades modo, sed „ & alias, licet Britanniæ & Hiberniæ, quam Norvegiæ viciniores insulas, Norvegiæ fuisse obsequio & reverentiâ subditas &c. Resp. Gyraldum isto loco, Thulen non intellexisse, ut quam nusquam comparere, alibi dixerit; citante Pontano, in Thule Cambdenianâ, Et verbis adductis, Gyraldus, nec Thulen, nec Islandiam expressit, indefinite de insulis istis loquendo, quo magis dubia fuerit Assumtio specifica. Nec hinc scitur, quam antiquum illud obsequium Norvegiæ præstitum, statui debeat, quantum ad Islandiam, quam constat, ante Ann. 1261. non fuisse Norvego tributariam; quod sæpius recurrit. Vid. Crymog: & quæ indidem supra sunt repetita. Sed nondum Epilogi D. Pontani finis. Addit enim.

Nec

„ Nec diffitear; longo ævo; aut intermortuis ſubinde, aut alias „ labefactatis, ut fit, ex primis coloniis, perpluribus, ſuppoſitos „ eos, non ex Norvegis modo, ſed ex aliis vicinis, inſuliſque, ut Hiberniæ Britanniæque [nota illud ex verbis Bremenſis, Pontanum deducere, ſupra ad Thulen Bremenſ: memini, monuique, „ quo minus id poſſit ſuccedere. Ibidem] & maximè, (inquit „ præterea Pontanus) ſi quid peregrinitatis, aut à Majoribus Gen- „ tis primogeniæ, ſuiſque Originibus Norvegis diſſonum retine- „ ant, inde profectum: cujuſmodi, inter alia, nomina propria „ reperio, & in his, ut alia taceam, *Grimus*, occurrit, cujus fuiſ- „ ſe etiam appellationis Scotorum Regem ducenteſimum, memoriæ nobis Scotorum ſuggerunt. Reſp. perſuaderi illud, circa mixtam, apud nos, coloniam, de iis, forſan poterat; qui Antiquitatis memoriam, ad nullam curam habuerunt: de Islandis, non item, qui poſteritati primam, & nunquam, aut nuſquam interruptam coloniam, per manus (quod dicitur) tradiderunt; monumentis & literis, non antiquis vel antiquitatis, ſeu Runicis, (ut vocant) quas ſecutum ævum faſtidire potuiſſet, & minus curare: ſed vulgatis hodie, & reliquæ Europæ uſitatis (Græciam excipio, & ſi quæ tales) & communibus. Qui Islandi, ſi ad coloniam ſuam, tale aliquid ſpectans (ut eſt illud, de mixtis coloniis) huic Genti, interveniſſet vel accidiſſet, id nunquam fuiſſent omiſſuri. Ad peregrinitatem vero (quæ à Pont: aſſertur) importandam; nil populis diverſis, aut mixtâ opus fuit coloniâ. Sola negociatorum commercia (ſuccedente præſertim tempore) & converſatio, ad eam rem ſufficiebant tum. Noſtratium in exteris peregrinatio, quibus domi ſemper, muliercularum ritu, deſidere, grave fuit, minuſque lubitum. GRIMI vero aut Grimeri (indifferenter) nomenclationem, non Scotorum commercia, nobis pepererunt, (quæ rara admodum hic fuiſſe conſtat) multo minus ex iiſdem mixta colonia, quæ nulla; ſi unum aut alterum excipias, in Chorographiâ, nomine notatum. Eſſe enim Grimum, noſtræ linguæ vocem nativam, ipſa ſignificatio (eſt namque proprium, ex appellativo factum, ut quamplurima noſtræ nationis) nobis ſolis, non Scotorum ulli (quod ſpondere auſim) cognita, arguet. Præterquam quod illud Grimi nomen, nunc ſimplex, nunc compoſitum, viris proprium, fœminis rarius, antiquiſſimis Norvegis, noſtræ Gentis originibus, familiare eſt, & vetuſtiſſimum. Sit exemplo, D.

Peregrinitas in Gente Iſl. unde putetur & quid arguere.

 Pontano

Grimus. Pontano memoratus, Lib. I. pag. 32. in Halfdano II. Dan. Rege) Norvegiæ, famosissimus pugil, ab Halfdano dicto Dan. Rege duello superatus. Et hoc longè superior, Arngrimus, ex isto tractu Norvegiæ magis Boreali, aut hujus & Sueciæ confinio, oriundus, multis victoriis celebris Frothonis III. Daniæ Regis gener; ut Saxo, vel affinis, ut Pontan: duodecim filiorum, ex Ofurâ Frothonis filiâ pater, Saxo. lib. 5. In quibus filiis Angantyrus, reliquis XI. fratribus, simul sumptis, Roboris & Fortitudinis laude par fuerit. Plura Grimorum nomina ævi posterioris. pars I. hujus Specim. suppeditat. Vt Grimus Quællldulfi F. Sect. 18. Grimus Halogiensis; Sect. 19. Item Grimus, cujus prædium *Grims-gil*, Sectio: 29. & alii non pauci, ibidem recensiti: sed longè plures omissi. Vt appareat Norvegis gentile esse hoc nomen, nec ullam ex Scotiâ mixtam coloniam importare; idque alias simplex; cujus exempla dedimus; alias compositum; ut Arngrimus, Asgrimus, Hallgrimus. Kolgrimus, Skallagrimus, Stengrimus, Thorgrimus, Wedragrimus; & illa quæ in compositione, Grim, præponunt, ut Grimkillus, Grimulfus &c. quin & fœminarum in nostrâ linguâ extant & extiterunt nomina ejusmodi, ut Grima, Oddgrima, Thorgrima, quæ propriorum nominum congeries, cum suâ Antiquitate, potius evincit, Scotos à Norvegis, quam hos ab illis, Grimi appellationem accepisse; ut quorum linguâ usque ad Wilhelmi Nothi tempora, Scotia &c. usa sit: & in quâ Grimi nomen, mutatâ jam linguâ remanserit.

Quod ultimo loco; de urinarum lotionibus, ex Blefkennio (convitiorum Hercule) attexitur (quanquam præstantiss. Pontanus, nequaquam probri causâ illarum meminit) eas forte sc. cum Iberis aut Hibernis (ut conjectat Dn. Doct.) coloniam nostram augentibus, vel miscentibus, esse invectas; nihil sanè horum cohabitatio, ad eam rem (si quid veri subsit) requirebatur. Nam ut paulo ante memini; variè & multum nostrates peregrinati sunt; alii negociandi; alii militandi, stipendiaque merendi gratiâ. Ex quibus nostrates erant illi, qui Haraldi *Hardraade*, Norvegiæ postea Regis) Dynastæ Constantinopolitano, militantis, signa secuti sunt. Ab his in patriam reversis, si quid incivilitatis, vel novi aliquid, in vitâ, victu & vestitu, aut linguâ (etsi hoc parcissime) invectum est; novæ coloniæ supplementum,

vel

vel ejus saltem suspicionem arguere, sive ostendere, non potest.

Tantum de hoc singulari & ultimo disputationis Thulensis capite: quo meam sententiam, & solitaria Argumenta, specialiter excutere, Dn. Doct: placuit. Quare nunc contractis velis, colophonem talem addemus; ut velit sc. digneturque celeberrimus Pontanus, hæc ipsa, quæ tumultuario opere, Annalium nostrorum propugnaculo, & defensioni congessimus, extremâ eorundem necessitate, coacti & compulsi, in dexteram partem excipere & interpretari; inque iis expendendis, connatam summis & divinis ingeniis, humanitatem & conniventiam adhibere, & propitio vultu respicere: atque ita, latam, de subruto nostræ sententiæ Fundamento, suam censuram, non nihil rigidiorem, & acrimoniæ aliquid habentem, aliquâ aliquando pagellâ, & per occasionem vel quæsitam lenire & mitigare; eâ scilicet lenitate & mitigatione, judiciique dexteritate, qua in variorum scriptorum, circa Thulen, & aliàs passim, usum constat, interpretandis verbis & sententiis. Ad ipsius siquidem excelsum animum, & eruditionem, summamque facundiam, receptum quasi & refugium, hic habemus: fueritque ille ipse D. Pontanus, Epilogus.

Qui, quæ mihi vulnera fecit,
Solus Achillæo, tollere more potest.

Dabam Melstadio Midfiórdensium, in Islandiâ Boreali, Anno, post editum & exhibitum, Clariss. D. Pontani, opus Historicum, secundo. Opus, inquam, Pontani (cui annectitur, distincto & separato tractatu, non autem inseritur, Insularum Borealium descriptio) eximium, aureum, augustum,

Quod nec Iovis ira, nec ignis;
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

FINIS.

Visum etiam est, sequens Epigramma, certis de causis Epilogo libelli, attexere.

ARNGRIMI IONÆ

W. ISLANDI.

Nominis proprii Etymon, cum consignatione studii & opellæ, adversus Islandomastyges, pro Patriâ Islandiâ, olim scriptis impensæ: necnon, cum promerito Mansuetudinis Pontanianæ, & Saxonis, Elogio.

Abs AQVILA, *&* GALEA, *constructo nomine dicor*
   ARNGRIMVS; *patriæ cassida parva meæ*:
Non quà lethiferos enses, strictasque macharas,
   Eludit clypeus, cassis & ægis item.
Sed quà spurcantes Famam nomenve, Dolones
   Islandûm, ut sensi; PENNA *fuit* GALEA.
PENNA, *Aquilis alto minimè æquiparanda, volatu;*
   Noctua qua sicut, BARBARA *reptat humi.*
Barbara at illa licet; Nigro carbone notavit
   BLEFKENIOS *vanos; tum quoque* FABRICIOS.
Iungas BREMENSEM *malesanum; junge* LEONIS
   Nomine non dignum; SEMIVIROS*que alios.*
Vrticam pugno validè compresseris, arcto
   Mordentem; tactu jam minus illa nocet.
Non irritatos, prohibent fas juraque, Famam
   Insontis populi, lædere convitiis.
Hoc agitant PRAVI, *pravi fictique tenaces,*
   Qui nos rhonchisono Rhinocerote petunt.
Non ita PONTANVS; *quamvis diversa secutus,*
   Nomine de Thules; non ita desipuit.
Non illi volup' est; Gentem proscindere scriptis,
   Ignotam; procul hinc vergite NVGIGERI!

Quam

Quam differt AVRVM SCORIA; *Scriptoribus istis,*
Pontanus præstat, COMMATIS *estque* BONI.
Ille AVRO *similis;* SCORIÆ *Fumoque sed isti,*
Ille sapit; cerebro turba superba caret.
Abdita nam Sophiæ, felix penetravit, & hausit,
Pontanus; Vanos, nox tenebrosa manet.
Magne etiam SAXO, *cognomen nobile gestans*
GRAMMATICI, *nobis non minus æquus eras.*
Designando solum nobis natale peræquè,
A glacie dictum, Fabula quæ pueris:
Dico sequestratam pelagi latrantibus undis,
A reliquis Terram, quam videt Arctophylax.
Nam quod laude suâ Thulenses non spoliatos,
Nobis præponas; nil habet opprobrii.
LVDICRA *naturæ, non pauca recensuit Autor,*
Non male, quæ Patriæ, plurima conveniunt.
Quum Thule interea, non ullo, nota probetur,
MIRACLO; *Forsan cognita Pontivagis.*
Thulenses, alii quâ tandem sede locârit
Saxo vestigent: non ero sollicitus.
Non sic mortales, torsere ænigmata Sphingis,
Ac Thule hos Sitibus discruciat variis.
Fixa STAT, *Oceani concussa Islandia, fluctu,*
Ast Thule incertis limitibus fluitat.
Diverso, satis est, Thulenses degere cælo;
Dum nos Vrsarum frigore conficimur.
Te, cum Pontano, Historiæ qui ducitis agmen,
Magnificè, Saxo, pro meritoque colam.
Hanc operam Patriæ faciles impendimus ultrò,
Dum furit insano, sævus in orbe PVGIL.
Cætera nomen iners gerimus; nisi pabula VITÆ
Quod populis prompsi, commiserante DEO:
Idque decem lustris, quis me tua GRATIA, CHRISTE,
Non sivit nihili, sumere in hoc operam.
Hic Aquilæ PENNIS *opus est, superoque volatu,*
Hic GALEA; *ferias ne* MALESVADE *caput.*
Subdolus est hostis, primum caput arte petendo,
Quo læso, quivis protinus ipse cadit.

Ergo

Ergo ARMATURAM *Domini nos indue*, IESV,
Frustretur Satanæ, quæ benè tuta dolos.
Non hederam satago, inscitæ suspendere Musæ,
(Turba malignantûm, fors, ut iniqua, putat.)
Non me auræ vanus vulgi pruritus inescat,
Ingenii levitas, aut vitiosus amor.
Nominis ast potius peregrini, quæ sit origo,
Lectorem propter, disseruisse juvat.

ALIUD.

De Autoritate Saxonis, circa Thulenses & Terram Glacialem.

Stultus adhuc juvenis, Thulen forte esse putâram,
Terram, cui GLACIES, *infestum nomen adaptat.*
Scriptorum inductus (malè Saxonis intellectâ
Mente) aliquo fuco; quem post ARNGRIMUS *adultus,*
Damnavit merito; sprevitque per AVIA *vulgi,*
Ire vagabundus. [*Datur inquisitio* VERI.]
Id quod præmissum tandem Syntagma docebit.
Hoc ita lectorem nostrum, monuisse necesse est,
Quo minus offendat sententia prima relicta:
INGENUUM *est verum, nil dissimulando, fateri.*


DN. ARNGRIMUS IONAS, ISLAND: W Ao. ÆTATIS XXIIII | FIDES INSTAR AQUILÆ.
Si lubet ARNGRIMI Vultus acora tueri
Exhibet hæc lector sculpta tabella tibi:
Ingenij summis hunc tellus patria donis,
Conspicuum meritò suspicit atque colit.
Optat & incolumem multos florert per annos,
Aspira voto numine CHRISTE tuo.
Amoris & honoris ergò M. GEORGIUS DEDEKIN: Fac.



OLAU[illegible] OM I. medicinæ in Academia Hafni[illegible]r Doctor et Professor Regius. A°. M D C XLVIII. ÆTAT. LX.

Sereniß Regis Daniæ. Sculptor. Alb: Haelwegh. Sculpsit.